



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Psevdo-Poenitens Correctvs. Sive Doctrina Ecclesiæ  
Catholicæ, & Sanctorum, solemniorúmque Doctorum, De  
Vera Poenitentia ...**

**Dionysius <aus Werle>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1692**


**urn:nbn:de:hbz:466:1-41634**





M. 2342.

g. I

15.







#2073..

PSEVDO-POENITENS  
CORRECTVS.

*Sive*

Doctrina Ecclesiæ Catholicæ, & San-  
ctorum, solemniorumque  
Doctorum,

*De*

V E R A  
POENITENTIA.

Calamitosissimo hoc rerum statu (quando  
plurimi semetipso POENITENTIA  
FALSA decipiunt) ad averten-  
da Divinæ iracundiæ flagella,  
SUMME NECESSARIA;

Ex ipsis fontibus fideliter exhibita

*per*

F. DIONYSIUM WERLENSEM  
Provinciae Colon. Capucinum.

*Collegii Socii seu sacerdot.*  
COLONIÆ AGRIPPINÆ

Apud JOAN. SCHLEBUSCH, pro-  
pè aream summi Templi, vulgò am  
Hoff im Kaltenberg/1692.





MATTH. 7. v. 13. & 14.

Intrate per angustam portam: Quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem; & MULTI sunt, qui intrant per eam.

Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam! Et PAUCI sunt, qui inveniunt eam.

LUCÆ 13. v. 24.

CONTENDITE intrare per angustam portam: Quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.

ISAIAË 33. v. 14.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?

Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?

S. AMB. l. 2. de poenit. c. 10.

Facilius inveni, qui innocentiam servaverint, quàm qui congruè egerint poenitentiam.

HEBR. 12. vers. 11.

Omnia autem disciplina in presenti quidè videtur non esse gaudii, sed mœroris: Postea autem FRUCTUM PACATISSIMUM exarcitatis per eam reddet justitiæ.

R.E.




REVERENDISSIMO  
AC CELESTISSIMO  
DOMINO

IO D O C O  
EDMUNDO,

EPISCOPO HILDESIEN-  
SI, S. R. I. PRINCIPI, &c.  
DOMINO MEQ  
CLEMENTISMO.

Q Uemadmodum hac turbulentis-  
simâ tempestate, REVEREN-  
DISSIME ACCELSISSIME PRIN-  
CEPS, ubique locorum vitia & pec-  
cata inundare; atque ob ea complures  
orbis Christiani provincias gravissimis  
Divinæ iracundiæ flagellis miserandū  
\* 2 in


in modum atteri & affligi ; animasque  
 innumeras in presentissimo salutis  
 æternæ periculo versari, nemo non vi-  
 det : ita eadem Divinæ iracundiæ fla-  
 gella & animarum periculâ per *Veram*  
*Pœnitentiam, & digna pœnitentia opera,*  
 cùm averti præsentia , tùm imminen-  
 tia anteverti posse ac debere , ex sacrâ  
 scripturâ & venerandâ antiquitate est  
 manifestum. Verùm Eminentissimus  
 Cardinalis BELLARMINUS, Dom.  
 4. Adventus , concione 9. non sine  
 causâ gravissimè conqueritur , quòd  
*digna pœnitentia opera* ( Act. 26. v.  
 20. à Spiritu S. requisita ) *non solum*  
*in moribus nostris, sed vix jam in libris*  
*reperiantur* ; in illis nimirum libris ,  
 qui depravato hoc seculo nostro [ quo  
 plerique non per angustam & arctam,  
 sed per latam ac spatiosam viam &  
 portam sese in vitam intraturos esse ,  
 contra expressum Dei verbum præ-  
 sumunt ] passim amantur, ac præ aliis  
 æstimantur ; nam in plurimis piissimo-  
 rum



rum veterum, & in quibusdam etiam recentiorum, de poenitentia tractantium libris digna ejusdem opera utique reperiuntur. Quia verò piissimi Veteres hoc tempore vix à quoquam leguntur, aut pro merito aestimantur; recentiores autem, qui de Contritionis cum Sacramento sufficientis motivo strictius agere, dignaque poenitentiae opera subinde etiam importunius exigere videntur, vel sunt de Jansenismo apud plures suspecti; vel Scholasticorum triticis conspersi, speculationi potius quam praxi inserviunt; vel certè, quia insuper alia tam multa tractant, ut hæc à paucissimis observentur: Hinc ex sanctissimorum, aliorumque sapientissimorum, doctissimorum, ac piissimorum virorum, nec non summorum Ecclesiae Prælatorum libris, ab omni periculosi erroris suspicione liberis, præsens opusculum, non nisi de Verâ Poenitentia, dignisque ejusdem fructibus & operibus agens, solique praxi


\* 3

in-



inserviens, compilare necessarium duxi,  
ut multi, semetipsos per pœnitentiam  
falsam hæc enûs miserrimè decipientes,  
non à me, sed mecum à ~~me~~ melioribus  
discant, quid sit agendum, quò tam  
communis & publica, quàm propria  
& privata cujuslibet salus, quoad tem-  
poralia simul & sempiterna, in tuto  
locetur.

Porro idem Opusculum, CLE-  
MENTISSIME PRINCEPS, anti-  
quissimæ ac perillustri familiae DE  
BRABECK perpetuum decus & or-  
namentum, CELSITUDINI TUÆ  
præ aliis inscribendum putavi; tum  
quia eadem non modò ut S.R. I. Prin-  
ceps, sed etiam ut primus ac summus  
provinciae Hildesienfis Sacerdos & Pa-  
stor, commissi sibi populi salutem tam  
temporalem quàm sempiternam (quæ  
sine verâ pœnitentiâ, dignisque ejus-  
dem operibus simul haberi non pos-  
sunt) unicè in votis ac curis habet; tum  
etiam, ut erga summum Ordinis nostri  
Patro-



Patronum ac benefactorem (cujus liberalitate ac beneficentiâ unâ cum fratribus meis quasi quotidie utor) grati animi affectum testarer; ex intimis cordis mei visceribus vovens ac precans, ut benignissimus DEUS Te sibi in omnem æternitatem, Ecclesiæ verò & patriæ Hildesiensi ad annos Nestoreos servet, atque ex toto corde, ex toto intellectu, & ex totis viribus deservire faciat ac præstet.

REV. CELSITUDINIS TUÆ,

Obligatissimus servus,

Fr. Dionysius Werlensis,  
Capucinus, ac pro temp.  
Conventus Hildesiensis  
Guardianus indignus,

\* 4

A P.




# APPROBATIO- NES

Doctorum & Professorum in  
alma Vniversitate Colo-  
niensi docentium.

**T**ractatum, qui *Pseudo-pœnitens*  
*correctus* in & ab Adm. Rev. in  
Christo P. Dionysio Werlense, Pro-  
vinciæ Coloniensis Capucino con-  
scriptus est, singulari attentione  
perlegi; Cùmque in eo æquè Con-  
fessariorum ac Pœnitentium laxitatos  
constringantur, eum prælo dignif-  
simum judico. Colonia Agrippinæ Ca-  
leat. Octobr. 1688.

JOAN. FORSBACH, SS.  
Theol Doctor publicus, & ordinar.  
Pro-




Professor, Parochialis B. V. in Rheni  
ripâ, nec non Collegiatæ S. Georgii  
respectivè Pastor, Canonicus Capi-  
tularis & præbendatus, mpp.

Libellum, cui præfigitur titulus:  
*Pseudo-pœnitens correctus*, à Reveren-  
do P. Dionysio Werlensi, Coloniensis  
Provinciae Capucino, doctè & concin-  
nè elaboratum, quoniam & Confessa-  
riis & Pœnitentibus utramque viam,  
& quæ ad vitam, & quæ ad perditionem  
perducit, absque errore in fide & bo-  
nis moribus luculenter demonstrat,  
dignum existimamus, qui magno po-  
puli Christiani fructu typis mandetur.  
Coloniae in Conventu nostro Fratrum  
Minorum S. Francisci Conventualium.  
Anno 1688. die 10. Octob.

FR. SILVESTER SCHWEITZER,  
Ordinis Fratrum Minorum Con-  
ventualium, sacrosanctæ Theologiæ  
in Universitate Coloniensi Doctor,  
Professor ordinarius ac publicus;  
Conventus Coloniensis Guardia-  
nus, mpp. FR.





Fr. MARTINUS ANDREÆ, ejusdem Ordinis, & SS. Theol. in Universitate Coloniensi Doctor & Professor ordinarius, nec non Provinciae Coloniensis Diffinitor perpetuus, mpp.

Nos infrascripti sedulò perlegimus Tractatum, qui inscribitur *Pseudopœnitens correctus*, ex doctrinâ Ecclesiæ, sanctorum Patrum, solemniorumque Doctorum, à P. Dionysio Werlenfi, Provinciae Coloniensis Capucino eruditè & modestè compositum; & nihil in eo invenimus contrarium fidei Catholicæ, aut bonis moribus; quin potiùs observavimus Authorem eò collimare, ut Confitentium, quoad Contritionem & Satisfactionem, defectus corrigantur; & lata atque spatiosa via, quæ ducit ad interitum, vitetur. Hinc prælo dignum judicamus. Datum Coloniae in Conventu nostro S. P. Augustini, Anno 1688. die 22. Octob.

FR. JOANNES SCHWEITZER,  
Ordi-



Ordinis Fratrum Eremitarum S. P.  
Augustini, SS. Theologiæ in Uni-  
versitate Coloniensi Doctor & Pro-  
fessor ordinarius ac publicus, Pro-  
vincia Coloniensis Provincial. mpp.

FR. REINERUS BURSCHEID ,  
ejusdem Ordinis, ac in eadem Uni-  
versitate SS Theologiæ Doctor ac  
Professor Ordinarius, Conventus  
Coloniensis Prior, mpp.

FR. MARTINUS HENNING ,  
ejusdem ordinis, SS. Theologiæ  
Doctor & Professor ordinarius ;  
studiorum Regens, mpp.

---

Nos Fr. Carolus Maria à Mace-  
ratâ , Ordinis Fratrum Minorum S.  
Francisci Capucinorum Minister Ge-  
neralis [ L.I. ]

Tenore præsentium facultatē con-  
cedimus, quatenus Opus, cui titulus:  
PSEUDO-POENITENS COR-  
RECTUS; à R. P. F. Dionysio wer-  
lenfi, hujus nostri Ordinis Conciona-  
tore; SS. Theologiæ Exlectore, nec non



in Coloniensi Provinciâ Diffinitore  
compositum, atque à duobus ejusdem  
nostri Ordinis Theologis, quibus id  
commissum fuit, recognitum & appro-  
batum, servatis servandis, typis mande-  
tur. Dat. Romæ die 19. Augusti 1690.

Fr. Carolus Maria Minister  
Generalis.

---

Libellus, cui titulus, PSEUDO-  
POENITENS CORRECTUS, à  
R.P. Dionysio Werlenti Capucino sol-  
licitè pro correctione Pseudo-pœni-  
tentium elaboratus, & à SS. Theol.  
Doctoribus typo dignus judicatus,  
placet, ut imprimatur. Colonia 3. Ja-  
nuarii, 1692.

Christianus Nevvendall Elsius,  
SS. Theol. Doctor, Coll. Eccl.  
S. Andreæ Decanus, Gymnasii  
Montani Regens, librorum  
Censor, mpp.

Le-



*Lector Benevole.*

**Q**uia per huncce Tractatum non nisi personales complurium Catholicorum, quoad Contritionem & Satisfactionem, defectus ( Doctrinâ Ecclesiæ & Sanctorum solemniorumque Doctorum iisdem ob oculos positâ ) correctos volo; specificam & numericam peccatorum mortalium, post diligens conscientiæ examen memoriæ occurrentium, confessionem, vel in re ipsâ, vel in voto ad veram ac salutarem pœnitentiam jure Divino necessariam esse ( adeo, ut quisquis eam apud legitimum sacerdotem facere non vult, simpliciter *pseudo-pœnitens* sit ) Protestantibus aliâs, Tractatu jam parato, ad oculum demonstrabo: iisdemque, quoad controversam de Satisfactione doctrinam tunc etiam plenissimè satisfiet. *Pseudo-pœnitentem* verò hic voco, cujus pœnitentia ( Confessionis integritate suppositâ )

tâ ) nihilominus vel *simpliciter* , vel *secundùm quid* falsa est. *Simpliciter* pseudo-pœnitens, & inferno obnoxius est, cujus pœnitentia interior non valet; quicquid tandem exteriùs agat : *secundùm quid* verò pseudo-pœnitens, ac purgatorio, & (quod peius est) etiam summo in peccata mortalia, vel in ipso quoque mortis agone relabendi, & sic in æternum pereundi periculo obnoxius est, cujus pœnit. interior utcunque valuit, sed exterior ejusdem viribus & peccatis nequaquam congrua aut conveniens fuit. Vale; & nequaquã à me, sed mecum à melioribus, immò ab optimis per me conquisitis Doctoribus disce, quidnam utrobique factu sit opus: Quia quamplurimi etiam ex iis, qui in verâ Christi Ecclesiâ accuratè quoad speciẽ & numerum confitentur peccata sua, nihilominùs malè confitentur, & turmatim in gehennam descendunt; ut c.

I. art. 5. §. 25. c. 2. art. I §. 9. nec non  
toto capite 9. videbis.

IN-



# INDEX GENERALIS.

Cap. 1. De contritione. pag. 1.

Art. 1. Contritio perfecta, & absque actuali Absolutione justificans, rarissima est; atque à pluribus non elicitur, sed elici fingitur, ac somniatur. ibid.

Art. 2. Imperfecta quoque Contritio, sive Attritio, ad Absolutionem cum fructu recipiendam omninò necessaria, plurimis confitentibus deest. 19. ibid.

Art. 3. Plurimi quoque ab defectum efficacis de emendatione vite propositi, malè & sacrilegè confitentur. 26. ibid.

Art. 4. Ex defectu debili in solius Christi meritis fiducia multorum At-

# I N D E X

*Attritio & Confessio est sine fructu.*

29.

ibid.

Art. 5. *Plurimos denique Confitentes verâ & necessariâ Attritione carere manifestum est ex eo, quod plurimi fructiferam satisfactionem juxta doctrinam Ecclesie injungendam, fugiunt & omnino declinant.*

37.

ibid.

Cap. 2. *De satisfactione congrua à sacerdotibus injungenda; nec non de absolutionis beneficio subinde differendo.*

pag. 50.

Art. 1. *Doctrina Ecclesie, & sanctorum solemniorumque Doctorum in medium affertur.*

ibid.

Art. 2. *Duodecim regula de injungenda pœnitentia, à sacris conciliis ac synodis, meliorisque a vi & nota Doctoribus tradita.*

94.

ibid.

Cap. 3. *De Purgatorii acerbitate ac durturnitate; nec non de indiscretionem Confessarii, quàm Confitentis.*

pag. 156

Cap.

## GENERALIS.

Cap. 4. Tantò unusquisque abstinere  
debet à licitis , quantò se meminir  
& illicita perpetrasse. pag. 183

Cap. 5. De satisfactione carnis afflicti-  
vâ , olim per ipsa adeo verbera , à  
maximis quoque Principibus, nobi-  
lissimisque Matronis inbianter ex-  
petitâ. pag. 188

Cap. 6. De satisfactione convenienti ob  
indulgentias non negligendâ.  
pag. 200

Cap. 7. De exercitiis, per qua pœnarum  
omnium, peccatis quantumque enor-  
mibus deuitarum, remissio , absque  
gravi corporis afflictione facillimè  
obtinetur. pag. 217

Cap. 8. De jejunio & eleëmofyna  
concors sanctorum Patrum Doctrina,  
omnibus quidem in praxi necessaria;  
à plerisque tamen non tantum non  
observata , sed etiam ignorata.  
pag. 220


Art. 1. Pœnitentia sine jejunio vacua  
est. 221. ibid.  
Art.



## I N D E X

- Art. 2. Jejunium sine eleemosynâ mortuum est: Et absque ea nequaquam; cum eadem verò citissimè exauditur oratio nostra. 227. ibid.
- Art. 3. Per majorem eleemosynæ largitatē suppleri ac redimi potest & debet poenitentialis jejunii rigor. 239. ibid.
- Art. 4. Eleemosyna debet esse larga & humilis. 245. ibid.
- Art. 5. Eleemosyna larga & humilis est medium efficacissimum ad placandum & promerendum Dominum Deum. 255. ibid.
- Art. 6. Eleemosyna larga & humilis est maximè necessaria ad obtinendam finalis perseverantiæ gratiam & vitam æternam. 258. ibid.
- Cap. 9. Plurimi damnantur, eò quòd malè suscipiunt Sacram. <sup>267</sup> pag. 276
- Cap. 10. De veræ Contritionis, inclusiç, in eâ propositi efficacis & absoluti difficultate & raritate (ac per consequens de salvandorum paucitate) juxta Protestantium doctrinã. ibid.
- 276.

**T**raclatum de contritionis cum  
actuali absolute sufficientis  
motivo, quanquam non minus ac  
alia omnia à Doctõribus & Censori-  
bus approbatum, atque sub concessâ  
Superiorum Licentiâ cõprehensum  
[qui capituli 1. articul. 2. constituebat]  
motu proprio, ex causa ibidem num.  
xiv. allata, & ne opusculum justo  
spissius fieret, prælo subtraxi, forsitan  
alias pro Doctõrum concordia luci  
donandum.





CAPVT I.  
DE CONTRITIONE.

ARTICVLVS I.

*Contritio perfecta, & absque  
actuali Absolutione justificans,  
rarissima est; atque à pluribus  
non elicitur, sed elici fingitur,  
ac somniatur.*

I. **S**apientissimus ille è Soc. Jesu  
Cardinalis & Archiepiscopus  
Capuanus, ROBERTUS  
BELLARMINUS, Anno Dñi 1621.  
Ætat. 79. defunctus, Concione 32. de  
Resurr. Dñi. §. *At inquis*, post me-  
dium. *Certè ait, tales confessiones hoc  
nostro seculo fiunt, ut ego vehementissi-  
mè reformidem illas audire. Et Conc.  
9. pro Dom. 4. Adv. Multi sunt, què*

A

ed

2 Pseudo-pœnitens correctus.

eò quòd jam confessi sunt, pedem unum se habere arbitrantur in cœlo; qui tamen, si rectè considerent, videbunt se pedem unum in terrâ, alterum in gehennâ posuisse: Nec enim confiteri, sed benè confiteri (Absolutione superadjunctâ) cœlum aperit.

H. Incipiamus, inquit, à Contritione, (ad bonam Confessionem suppositâ) Multi sunt, qui nullam (ab ultima Confessione) diem sine novis peccatis mortalibus transegerunt: Et tamen nulle sunt lachrymæ; nulli gemitus... Quin etiam nonnulli vix genua figere dignantur in terra; sed uno genu duntaxat, & illo super pulvinari interdum posito, ita manent, quasi furari Absolutionem, & statim aufugere vellent... Hæcine est Contritio? Scindite corda vestra, inquit Joel. cap. 2. Et Scripturæ sacræ, cum de pœnitentia loquuntur, ubique cinerem & cilicium commemorant; & nunc planctum amarum, nunc luctum unigeniti adhibendum esse docent. Hæc Bellarminus. III. B.

III. B. ALBERTUS MAGNUS,  
 in *Paradiso anime*, sive in libello de  
*veris Virtutibus*. cap. 39. *Contritio*, in-  
 quit, vera, est dolor pro peccatis volun-  
 tatiè assumptus, pro quantitate & qua-  
 litate criminum, cum proposito confi-  
 tendi & satisfaciendi, proveniens ex  
 gratia gratuita: Dolor enim naturalis,  
 vel dolor sine gratia, nihil prodest aut  
 valet. Quantitatem doloris exprimit  
*Hieremias* (c. 6. v. 26.) Cum dicit: Lu-  
 tum unigeniti fac tibi. Hinc præcepit  
*Dominus in Ioele* (c. 2. v. 13.) dicens:  
*Scindite corda vestra.*

IV. VERA CONTRITIO RA-  
 RA EST, teste D. Gregorio. Nec sem-  
 per credendum est veram esse compun-  
 ctionem, ubi genitus apparent & la-  
 chrymæ: Nam ex timore inferni, vel  
 ex consideratione alicujus damni, vel  
 ex naturali compassione sæpè solent ta-  
 lia provenire, cum recordatur quis  
 enormitatem scelerum suorum, vel  
 acerrimam Passionem JESU Christi,  
 &c.

4 Pseudo-pœnitens correctus.

V. Argumentum veræ Contritionis habet, qui in tantum detestatur peccati immunditiam, quod omnem pœnam Purgatorij libentiùs eligeret, quàm quod contra benignissimum DEUM unquam peccatum aliquod efficeret; & qui ad pœnam infernalem se potiùs exhiberet, sicut Eleazarus ( 2. Machab. 6. v. 23 ) quàm unquam de cetero ex proposito aliquod peccatum committeret; quod etiam eligendum esse dicit Augustinus: Et qui pœnam omnium Martyrum libentissimè sustineret, ut per hoc mereri posset, quod de cetero aliquod peccatum nunquam perpetraret: Et qui ad omnem afflictionem infirmorum & pauperum se offerret, ut pro offensa DEI dignè satisfacere posset.

VI. Argumentum falsa Contritionis habet, qui, quamvis peccata commissa vehementer defleat, tamen continuo post dolorem eadem, vel alia committere non formidat. Hæc B. Alb. M.

VII. VERA, inquit, CONTRI-  
TIO

TIO RARA EST : Idque inprimis  
 de Contritione perfecta est verum : *Ut  
 enim hoc concedamus ; Contritione* (per  
 fidem ac fiduciam firmam , perque  
 Confessionis & Absolutionis votum,  
 studium , ac desiderium , Mediatori  
 CHRISTO, ac per eum misericordiæ  
 DEI innitente ) *peccata deleri* (inquit  
 Catechismus Rom. de poenitentia Sa-  
 cramento cap. 7.) *Quis ignorat illam*  
 ADEO VEHEMENTEM , A-  
 CREM AC INTENSAM ESSE  
*oportere , ut doloris* ( non in sensu cor-  
 poris, sed, ut cap. 5. declaratur, in vo-  
 luntatis actione ; nimirum in peccati  
 odio & detestatione consistentis ) *acer-  
 bitas cum scelerum magnitudine con-  
 ferri aequarique possit ? At quoniam*  
 ( sub lege veteri ) *pauci admodum ad  
 hunc gradum pervenirent, fiebat etiam,*  
 ut à PAUCISSIMIS hac viâ peccato-  
 rum venia speranda esset. Quare necesse  
 fuit , ut clementissimus Dominus faci-  
 liori ratione ( videlicet claves Regni  
 A 3                      cœle-



6 *Pseudo-pœnitens correctus.*

cœlestis, quibus Contritio imperfecta adjuvaretur, Ecclesiæ tradendo ) *communi hominum salutis consuleret.* Ita CATECHISMUS ROM. ex Decreto Concilii Tridentini, & jussu PII V. à delectis aliquot Theologis compositus, ac quàm diligentissimè & fidelissimè imprimi mandatus; ac per consequens approbatus.

Quem etiam idem PIUS V. anno 1571. die 3. Novemb. *juxta exemplar Romanum imprimendi, seu imprimi faciendi* licentiam & facultatem concessit Joanni ex Comitibus de Hoya, Episcopo Monasteriensi ac Osnabrug. & Paderbornensis Ecclesiæ Administratori; ejusque impressori ad ejusdem Episcopi supplicationem, cupientis per diœceses suas *in unaquaq; Cathedrali, Collegiatâ, Claustrali, Parochialique Ecclesiâ unum exemplar appendi; quò populus ex eo erudiri, & ab omnibus legi, & palàm inspici posset.* Ut patet tum ex rescripto nunc dicti Pontificis; tum

ex

ex ejusdem privilegio, pro impressoris Romani indemnitate dato, editioni Coloniensi, anno 1572. factæ præfixis. Idem verò Catechismus in Tractatū hūc statim citato cap. 3. apertè insinuat, vel potiùs tanquam rem notam supponit; quòd Contritionem illam, quæ ante Confessionem (accedente tamen ejusdem voto) justificat, oporteat **ARDENTISSIMAM** esse.

VIII. *Spiritus quidem non modo, ubi vult, spirat; sed quando vult, spirat, inquit S. BERN. Serm. 76. de diversis; nec ei difficile est de subito perfectam dare Contritionem; QUAM VIX MULTO TEMPORE ALII CONSEQUUNTUR: Sed undè scis, quòd tunc (scilicet in extremis) tibi ita succurrere velit, quem tu interim sic repellis? Et MAGISTER Sententiarum, lib. 4. dist. 20. (ibidem semper ab universa Theologorum Schola receptus) Magnum est, ait, cui tunc DEUS inspirat, si quis est, veram pœnitentiam! Per*

8 *Pseudo-pœnitens correctus.*

quæ profectò docemur, quòd perfecta Contritio, immò & imperfecta, ac cum Sacramento sufficiens & necessaria (de qua ibidem expressè agit Magister) sit donum Spiritûs sancti, peccatori non semper ad ejus arbitrium *immediatè* paratum; quòdque ea non possit elici, nisi Spiritu S. pro beneplacito voluntatis suæ misericorditer subveniente ac inspirante: Quam quidem subventionem inspirationemque peccatores (saltem quoad Contritionem perfectam) ordinariè *vix multo tempore consequuntur*; eò quòd eorum preces ut plurimum minore, quàm deberent, instantiâ & humilitate rogant; ac robustis jejuniorum & eleëmofynarum alis, quibus citò ad thronum DEI pervolent, sunt destitutæ.

IX. Perfecta Contritio (ut Catechismus Rom. de pœnit. Sacram. cap. xi. docet) est *præclarum, magnum, & singulare Dei beneficium*; adcoque idipsum à *DEI misericordia petere & efflagi-*

flagitare ; proque eodem obtento  
**MAXIMAS DEO** gratias agere ; ac  
 per consequens, idem precibus ut mi-  
 nimùm magnis efflagitare oportet.

X. Verùm hac tempestate non pauci  
 putant, sese Contritionem perfectam  
 posse absque magna precum alatarum  
 instantia facillimè quovis momento  
 elicere ; nimirum, quando in quadam  
 formula, hoc titulo, *Actus Contritionis*,  
 notatâ, cum contorta & evanida cogi-  
 tationum inflexione dixerunt : *Diligo  
 te, Deus meus super omne diligibile,  
 hanc solùm ob causam, quia tu es sum-  
 mum & immensum te ipsum beatificans  
 bonum. Doleo, heu! doleo; &, eheu!  
 poenitet me, quod te unquam offende-  
 rim! Nunquam! nunquam in eter-  
 num id amplius fiet! Parce Domine,  
 parce & miserere per unigenitum Fi-  
 lium tuum IESUM Christum Domi-  
 num nostrum, Amen.*

XI. Sed audiamus, quæso, quod di-  
 cit S. Greg. in Pastoralis, part. I. Ad-

A S

monit.

10 *Pseudo-pœnitens correctus.*

monit. 9. Sapè, inquit, sibi de se mens ipsa mentitur; & fingit se amare, quod non amat: Fitque, ut aliud in imis intentio supprimat, & aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nec difficilis est ejus rei probatio: Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat, inquit idem Sanctus, l. 1. Dialogorum cap. 5. Undè; quòd Contritio per ejusmodi duntaxat formulam, ut putatur, elicita, plerumque non fit (uti oportet) in imo ac intimo cordis sinu ac fundo per operationem Spiritûs S. nata & radicata; sed tantùm in superficie cogitationis & phantasiæ (ceu spuma aut bulla in aqua turbata natans) ab hominibus se ipsos decipientibus inaniter ficta; adversario contra eosdem, quando formulam quandam, hîc num. X. adductæ similem vix recitârunt, insurgente patescit: Ad levissimum quippe contumeliosi cujusdam verbuli flatum ejusmodi præsumpta Dei Dilectio & Contritio

tritio

tritio statim ad instar bullæ in aquis tactæ diffinit ac evanescit ; & contrituli nostri offensam Dei nequaquam curantes, non secus ac canes rabidi vel venenosi serpentes damnabilem vindictam spirant.

XII. Profectò tales, quando ejusmodi formulam coram Domino recitârunt : *Dilexerunt eum in ore suo, & linguâ suâ mentiti sunt ei ; Cor autem eorum non erat rectum cum eo*, ut in psalmo 77. v. 36. & 37. de similibus dicitur : Spiritus enim sanctus I. Joan. 3. v. 8. requirit, ut *non diligamus verbo neq; linguâ, sed opere & veritate*. Et S. GREG. homil. 30. in Evangelia. *Probatio, inquit, dilectionis, exhibitio est operis*. Et post pauca : *Nunquam est amor Dei otiosus : Operatur enim magna, si est ; si verò operari renuit, amor non est*.

XIII. Undè excellentissimus ille PETRUS à SOTO in Institut. Sacerdotum, Tit. de Perfectione Contritionis,

tionis, Lect. 16. §. Primùm. *Omniùm*, ait, *primus & certissimus vera Pœnitentia, sicut & charitatis effectus est, ut non otiosa sit; sed in opera convenientia prorumpat.* Et post pauca: *Quod si hoc ex se charitas habet (ut operetur magna) etiam cum nulla alia ratio occurrat; quanto magis id habet, cum incidit in peccatum, pro quo satisfaciendum est; quod delendum est, & de quo sumere contendit vera Charitas, uti fieri potest, vindictam?*

XIV. Certè, qui verè & ex corde ob DEI summè dilecti gravem offensam dolet, non potest non offensori graviter indignari; gravisque, aut saltem aliquo modo convenientis vindictæ appetitu contra eundem, hoc est, contra seipsum, urgeri: Ubi verò ejusmodi appetitus ~~non~~ adest, ibi nec vera DEI dilectio, ~~non~~ <sup>hæc</sup> dolor ex eadem progenitus potest adesse.

XV. Ad hæc; vera Charitas, ac proindè & Pœnitentia, sive Contritio

EX

ex eadem profecta, *paciens est, & omnia  
suffert ac sustinet* 1. Cor. 13. v. 4. & 7.  
Dum nimirum homo DEUM dili-  
gens, & verè contritus agnoscit, dig-  
num & justum esse, quòd omnes crea-  
turæ in ipso vindicarent injurias &  
contumelias Creatori suo illatas; cre-  
ditque humilem ac patientem ejusmo-  
di vindictæ contra se, DEO misericor-  
diter disponente, à creaturis exercitæ  
tolerantiam, satisfactionis partem non  
modicam esse.

Ex horum <sup>vero</sup> omnium raritate digno-  
scitur, Contritionem charitate DEI  
perfectam, quæ cum solo Confessio-  
nis & Absolutionis voto justifi-  
cat, rarissimam esse.





## ARTICVLVS II.

*Imperfecta quoque Contritio, si-  
ue Attritio, ad Absolutionem  
cum fructu recipiendam omninò  
necessaria, plurimis confiten-  
tibus deest.*

Nam

PRIMO; Hæc Contritio non so-  
lùm cessationem à peccato, & vitæ novæ  
propositum & inchoationem; sed vere-  
ris etiam odium continet. Concil. Trid.  
Sess. 14. cap. 4.

SECUNDO; Ad gratiam & justitiam  
assequendam, etiam ante Baptis-  
mum, adeoque & ante Absolutionem,  
necessarium est, peccati mortalis per-  
versitate abjectâ & emandatâ, tantam  
DEI offensionem cum peccati odio, & pio  
animi dolore detestari. Concil. Trid.  
ibid. cap. 1. Vel;

Vel; ut Catechismus Rom. de Pœnit. Sacram. cap. I. loquitur: *Non solum admitti sceleris causâ intimo animi sensu dolere; verum etiam UNIUS DEI CAUSA in eo mœrore oportet esse; Atque hanc demum & non aliam aliquam inferioris conditionis pœnitentiam, tum ad virtutem pertinere; tum (ratione Confessionis & Absolutionis superadjunctæ) Sacramentum esse, idem Catechismus ibidem docet. Et cap. 6. Qui amico, inquit, reconciliari velit, quem injuriâ aliquâ affecerit, doleat oportet, quod in eum injuriosus & contumeliosus fuerit.*

Item in Tract. de Orat. Dominica cap. 14. *In necessaria, inquit, recordatione peccatorum non est satis illa leviter recordari: Nam, ut acerba nobis sit ea memoria, ut cor pungat, animum stimulet, & dolorem inurat necesse est. Moxque jubet Parochos diligenter curare, ut fideles facinorum flagitiorumque suorum molestè dolenterq; meminerint;*  
*ut,*

*ut, cum anguntur intimis sensibus, conferant se ad PATREM DEUM; à quo, ut inherentes evellat scelerum aculeos, suppliciter petant.*

Et in fine ejusdem capituli: *Qui carent NECESSARIO HOC recognitionis ac doloris sensu* (quia malum & amarum est reliquisse Dominum Deum, Hier. 2.v.19.) *ij apud Prophetas, Isaiam* (c.46. v.12.) *Ezechielem* (c.36. v.26.) *& Zachariam* (c.7. v.12.) *cor durum, lapideum & adamantinū habere dicuntur: Sunt enim instar lapidis nullo dolore molliti, NULLUM VITÆ, ID EST, SALUTARIS RECOGNITIONIS SENSUM HABENTES.*

Rursus in Tract. de Oratione in genere, cap. 8. docet, quòd secundus gradus præparationis ad orationem, sit *ANGOR* quidam in recordatione delictorum; *vel saltem aliquis doloris sensus ob eam causam, quòd dolere non possimus: Quorum utrumque, vel certè alterum, nisi à pœnitente adhibeatur, venia impetrari non potest.* TER.

**TERTIO** ; Per dictam nunc Attritionem quodvis peccatum mortale admissum *super omne detestabile* detestari oportet ; adeò , ut dolor ille ( in ejusmodi detestatione consistens ) debeat esse *appretiative summus* ; cujus virtute poenitens malit omnia & bona perdere & mala pati , quàm in omni vita sua rursus vel semel mortaliter offendere Dominum Deum. Ita docent & sentiunt omnes Doctores.

Hujusmodi verò dolor ( ut pariter omnes fide firmissimâ tenent ) nequaquam ex viribus liberi arbitrii, sed tantummodo ex virtute Spiritûs S. moventis potest assumi : ac proindè

**QUARTO** ; Ordinariè ante Confessionem peccati mortalis, humillimis precibus rogandus est Dominus Deus, ut ad veram poenitentiam nos perducere dignetur.

V. Undè Catechismus Rom. supra art. 1. num. 7. laudatus, de Poenit. Sacram. cap. 1. *In primis, inquit, monenda*

*da*

*di hortandiq; sunt fideles , ut OMNI  
CONTENTIONE ET STUDIO  
( præsertim orationis benè alata ) in  
intima animi pœnitentia, quam virtu-  
tem dicimus , elaborent. Nimirum,  
priusquam ad Confessionem accedant.*

VI. Et cap. XI. *Si autem Sacerdos  
intellexerit eum, qui velit confiteri, adeo  
peccata sua non dolere, ut verè contritus  
dicendus sit ; conetur magno Contritio-  
nis desiderio eum afficere, ut deinde hu-  
jus PRÆCLARI DONI cupiditate  
incensus, illud à Dei misericordia petere  
& efflagitare in animum inducat.*

VII. S. CAROLUS BORRO-  
MÆUS , Archiep. Mediolan. & S. R.  
Eccl. Cardinalis, in *Sacramentali Am-  
brofiano*, ( *Quod ipsemet, Virorum pie-  
tatis studio flagrantium & doctrine  
laude clarorum adjutus auxilio , sex  
interim Conciliis Provincialibus , ut  
ipse in præfatione testatur, celebratis ;  
ab anno videlicet 1565. usque ad 1582.  
inclusivè elaboravit* ) Tit. *Instructio  
Pœni-*

Pœnitentiæ. Pœnitens, inquit, ANTE-  
 QUAM ad Parochum, Sacerdotemve,  
 cui peccata confiteatur, accedat; multi-  
 tudinem & gravitatem peccatorum,  
 quibus se irretitum esse sentit, VEHE-  
 MENTER intimè dolebit ac deplora-  
 bit; Deiq<sup>3</sup> misericordiam OMNI  
 PRECE FLAGITABIT. Et post  
 aliqua: Sacerdos, ANTEQUAM pœ-  
 nitentiam imponat, & Absolutionem  
 tribuat pœnitenti, videbit, an PROP-  
 TER DEUM veram peccatorum suo-  
 rum Contritionem habeat; Si talem  
 Contritionem illum non habere intelle-  
 xerit, illius desiderio accendere conabi-  
 tur; hoc admonens, PROPTER DE-  
 UM IPSUM usq<sup>3</sup> adeo, quantum potest,  
 eum peccata dolere oportere; ut saltem  
 adjuvice Dei gratiâ, QUAM A DEO  
 INTIME PRECETUR, ex Sacra-  
 menti q<sup>3</sup> virtute ex attrito contritus fiat.  
 Vide Acta Ecclesiæ Mediolan. Parisiis  
 anno 1645. impressa, pag. 402. &  
 404.

VIII.IN-

20 *Pſendo pœnitens correctus.*

VIII. INSTITUTIO CHRISTIANA, juxta quam Concilium Provinciale Moguntinum, anno 1549. celebratum, ampliffimæ istius Provinciae populos erudiri, cap. 48. seriò jubet, Tit. de Contritione. §. *Hic verò*, fol. 176. pag. 2. *Admonendi sunt*, inquit, *homines, ne conversionem à peccatis de suis viribus præsumant*; Sed à DEO PRECIBUS, LACHRYMIS, TOTIUSQUE PIETATIS EXERCITIIS EXPETANT. Scilicet, antequam confiteantur vel absolvantur.

IX. CATECHESSES, auctoritate & jussu Joannis Archiepiscopi Trevirensis, anno 1590. Augustæ Trevirorum typis publicatæ, pag. 303. *Quis*, inquit, *modus ac via rectè agendi pœnitentiam? Primum, volentem agere integrè, ante omnia divine bonitati, ejusq; gratia inniti oportet*; & per humilem instantemq; orationem ante omnia gratiam pœnitendi sibi à Deo postulare necesse est... Itaq; quoties audieris pœnitentiam,

tentiam, aut aliquid ad eam pertinens  
 precipi in Scriptura, intelligas statim  
 tibi id à Deo esse postulandum. Et pag.  
 307. Opus est, ut ( qui peccarit ) oret  
 & clamet ad Deum pro gratia pœniten-  
 tia; Sciens, quòd non possit se magis à  
 peccato excutere, quàm demersus ille  
 ( Jonas ) ex tanta ( Maris ) profundi-  
 tate potuit emergere, &c.

X. Denique S. INNOCENTIUS,  
 ejus nominis Papa primus, in epist. ad  
 Patres Concilii Carthaginensis, con-  
 tra Pelagium & Celestium celebrati,  
 rescriptâ, quæ est inter Augustinia-  
 nas 91. gravissimâ atque ab omnibus  
 receptâ auctoritate sic docet: *Nisi*  
**MAGNIS PRECIBUS** gratia in nos  
*implorata descendat, nec quicquam*  
*terrena labis & mundani corporis vin-*  
*cere conamur errores; Cùm pares nos*  
*ad resistendum non liberum arbitrium,*  
*sed Dei solùm possit facere auxilium.*

XI. Si autem justis in gratia Dei  
 stantibus, ad persistendum, atque ad re-  
 sisten-

listen-



sistendum diabolo, *magnæ preces* sunt necessariae; *majoribus* utique ad resurgendum, veramq; pœnitentiam agendum indigent peccatores; nec levi & evanido cogitationum eruditariâ flexu, ut quidam scioli putant, tanti momenti negotium peragi potest. Minores verò preces per generosiores, hilarioresque eleëmofynas, sive per majora misericordiæ opera suppleri, ac magnas fieri posse compertum est. Quâ de re vide infra, Cap. 8. Art. 3. 5. & 6.

XII. *Quare; si bonam, si utilem, si salutarem Confessionem facere vultis,* inquit Card. BELLARM. Conc. 8. in Dom. 4. Advent. *Si verè cum Deo in gratiam redire desideratis; debetis primum DIU ET MULTUM in amaritudine animæ peccata præterita recogitare; deindè ea largis & diuturnis imbribus lachrymarum abluere; TUM Sacerdotem probum & eruditum adire, qui non solum absolvere, sed etiam remedia morbis & aegritudinibus accommoda adhibere sciat.* XIII.

XIII. *Adhortor vos omnes*, inquit, S. JOAN. CHRYSOST. homil. de S. Philogonio, *ne negligenter, veluti festo die cogente ad divina mysteria accedatis; Sed, si quando parabitur hujus sacra Hostia fieri participes, MULTIS ANTE DIEBUS repurgetis vos per pœnitentiam.*

XIV. His verò (quæ ab omnibus probantur) habitis ac observatis, superfluum, atque ad bonam securamque praxin minimè necessarium est, hîc plura de Contritionis & Attritionis negotio disputare: quandoquidem misericors Deus, veræ pœnitentiæ gratiam modo nunc dicto petentibus, procul omni dubio dabit spiritum bonû.

XV. Verùm BELLARMINUS, Conc. 9. in Dom. 4. Advent. cum magno animi dolore justissimè ita exclamat: *Quam multi veniunt (ad Confessionem) onusti peccatis, in quæ jam millies ceciderunt! Et veniunt PRIDIE, VEL IPSODIE summa celebri-*  
*tatis;*

24 *Pseudo-pœnitens correctus.*

*tatis; ET STATIM (nullâ magnarum precum, lachrymarum, jejuniorum & misericordiarum exercitatione præmissâ) volunt expediri; ( id est absolvi, atque ad sacram Communionem admitti) quasi hoc negotium esset ludus puerorum! Nonne hi Deum non placare, sed irridere voluisse videntur?*

XVI. Et S. AMBROS. US l. 2. de pœnit. cap. 9. *Nonnulli, ait, ideò poscunt pœnitentiam, ut STATIM sibi reddi Communionem velint: Hi non tam se solvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare; Suam enim conscientiam ( peccati vinculo ) non exiunt, & Sacerdotis induunt; cui præceptum est: Nolite Sanctum dare canibus.*

XVII. Sanctus quoque CYPRIANUS summam ejus rei indignitatem, ( tunc etiam à Clero Romano, nec non à pluribus ac numerosis Africanorum Patrum Conciliis condemnatam ) magno pietatis zelo passim in epistolis suis, & in Libello *de lapsis*, acerrimè perstringit.

XVIII.

XVII. Immò & hoc nostro seculo nos confundunt, & in iudicio condemnabunt schismatici ac barbari Moscovitæ: Quandoquidem iidem se per integrum ante confessionem octiduuna austero rigidoque jejunio macerant; Nec quicquam obsonii sumunt, præter induratum panem, vilemque & acidum potum; adeo, ut inde tormina sentiant, & quadantenus infirmentur; ut *Adamus Olearius*, anno 1634. & aliquot sequentibus multo inter eosdem tempore versatus, *Itineris Persici* lib. 3. cap. 30. testatur.

Quâ verò ratione in præparatoriis ejusmodi exercitiis necessariò utendum sit *deprecatione & patrocinio Passionis Domini nostri Iesu Christi*, vide infra art. 4. num. 3.



B

A.R.

## ARTICVLVS III.

*Plurimi quoque ob defectum efficacis de emendatione vite propositi, malè & sacrilegè confitentur.*

I. Hoc propositum in verâ Attritione includi, extra dubium & controversiam est. Veruntamen, ut CORNELIUS à LAPIDE, vir è Societ. Jesu doctissimus simul & sapientissimus, anno 1637. defunctus, in epistolâ S. Jacobi commentans, ad capitulum 2. versum 13. rectissimè observat, *Multi ignorant EFFICAX propositum abstinendi à peccatis requiri, ut quis sit capax Absolutionis; & nesciunt, QUAM FORTIS ET CONSTANS resolutio animi requiratur, ut propositum censeatur esse absolutum & efficax. Multi, esto sciant propositum efficax requiri,*  
*namque*

nam illud procurare & habere non fatagunt; sed habere se simulant; immo sibi ipsis [ juxta S. Gregorium hic supra art. 1. num. XI. citatum ] falso persuadent: Est enim propositum hoc serium, **RES ARDUA, SUBLIMIS, ET DIFFICILIS** [ vel; ut idem Cornelius ibidem post aliqua, indicio 5. dicit, ex peccato mortali resurgere per penitentiam, & propositum efficax, **ARDUUM EST ET PER DIFFICILE** ] Multi autem nolunt vim sibi adhibere; & ad rem ardua **TOTIS VIRIBUS CONNITI.** magnis videlicet ac diuturnis precibus, lachrymis, jejuniis, ac misericordiae operibus, ut articulo præced. dictum est, insistendo. Adeoque *Multi male suscipiunt Sacramenta*; id quod Cornelius ibidem probare intendit.

II. Hocque ipsum ex facillimo citissimoque plurimorum post Confessionem relapsu colligunt Bellarminus & Cornelius à Lapide, locis proximè citatis: Et rectè quidem; Nam homini,

B 2

qui

qui peccata sua, quatenus Dei offensa sunt, verè odit ac detestatur; & cum absoluto & efficaci Deum in omni vitâ suâ mortaliter non offendendi proposito integrè confitetur & absolvitur, juxta Concilium Trid. sess. 6. cap. 7 unâ cum remissione peccatorum veri virtutum Theologicarum habitus infunduntur: Veri autem habitus non sunt otiosi, sed conferunt *firmitatē, promptitudinem & delectationem in opere.* Igitur qui absolutione perceptâ nullâ habet *firmitatem* in opere Charitatis, sed ad *minimâ* cujusque tentationis afflatum mortali peccato Deum rursus offendere non reformidat; is verum Charitatis habitum non accepit infusum; ac per consequens nec peccatorum remissionem. Vide supra, art. I. num. 6.

III. Estque hîc bene observandum, quòd etiam cum Confessione solorum venialium peccatorum, saltem de eorum uno aut altero intimum animi dolorem, *firmumque & efficax emendan-*

di

di propositum afferre oporteat; adeo, ut id negligens, Absolutionem sacrilegè recipiat; & cum gravi peccato mortali recedat, qui cum solis venialibus accessit; ut complures Theologi monent: Qui etiam, ob facile ejus rei periculum, suadent, ut non nisi venialia afferens, addat mortale aliquod jam aliàs confessum; circa quod intimum animi dolorem, efficaxque & absolutū emendandi propositum faciliùs concipere denuo possit.

#### ARTICVLVS IV.

*Ex defectu debitæ in solius Christi meritis fiduciæ multorum Attritio & Confessio est sine fructu.*

I. Hanc fiduciam, non minùs ac supradicta, omnes Catholici ad veram Contritionem Attritionemque requirunt:



runt: Unde ADAMUS SASBOUT, Ord. Min. de Observ. Professor Lovan. [ qui anno 1553. 21. Mart. vitam optimam p̄ssimâ morte complevit ] Cum homiliâ in Domin. 2. Quadrag. habitâ, editionis, Colonia anno 1568. factâ. p. 648. & 649. multis docuisset, *fide opus esse in precibus, nec eâ vulgari; sed quâ fiat, ut vehementi affectu petamus, quod petimus; UT NOSTRÆ JUSTITIÆ DIFFISI, UNI CHRISTO NITAMUR*; Ibidem pag. 650. ait quosdam semper accuratissimè confiteri, & tamen *numquam ad Confessionis fructum pertingere; quia, inquit, quod PRÆCIPUUM est, negligunt; nimirum fidem in Christum; quam diximus complecti & certam persuasionem de Misericordiâ salvatoris, & fiduciam de impetranda [ per merita Passionis ejusdem ] Misericordiâ.*

II. Et quamvis diffidentiam de propriis viribus, virtutibus, ac meritis; firmamque in Misericordiâ DEI, & me-  
ritis

ritis Christi fiduciam, sub omni opere bono; & maximè sub Contritione & Confessione habendum esse doceat, semperque docuerit Ecclesia Rom. [ut contra sinistras opiniones, quæ Protestantium libros omnes adversus eandam fusiùs agentes occupant, fusissimè demonstravi in VIA PACIS] Nihilominus tamen non sine causâ timeo, multos eò usque à Diabolo decipi, ut peccatorum suorum remissionem non modò per Passionem, Sanguinem & Mortem Christi firmâ cum fiducia non flagitent; sed etiam eâ de re nequidem cogitent; putentque Attritionem & Confessionem suam [quâ pauperculo cuidam sacerdoti peccata sua enumerare, magnâ, ut putant, humilitate dignantur] esse per se dignam, cui absque ullo ad merita Passionis Christi respectu, Misericordia DEI, & peccatorum remissio per Absolutionem obtingat: id quod putare est utique damnabiliter errare. Essetque optandum, quòd

B 4                      sacer-

sacerdotes moderni, juxta exemplum  
 antiquorum [quorum integram Bibli-  
 othecā in VIA PACIS exhibui] fidu-  
 ciam in Passione Christi locandam, ejus-  
 demque Passionis jugem gratāque me-  
 moriam & imitationē identidē inculca-  
 rent. Certē Apostolus 1. Cor. 2. v. 2.  
 non judicavit se scire aliquid inter au-  
 ditores suos, nisi JESUM CHRI-  
 STUM & hanc Crucifixum. Et Con-  
 cilium Trident sess. 6. cap. 6. ab Attritis  
 Contritisque requirit, ut sint *fidentes*,  
*sibi DEUM PROPTER CHRI-  
 STUM propitium fore.* Concilium  
 quoque Provinciale Colon. anno 1536.  
 celebratum parte 7. Can. 39. jubet Con-  
 fitentem à sacerdote moneri, *ut credat,*  
*per DEI Misericordiam, virtute san-*  
*guinis Christi, per Absolutionem impar-*  
*tiendam, in verbo ejus sibi remissum iri*  
*peccata.*

III. Catechismus Rom. in Tract. de  
 oratione in genere, cap. 3. *Primus*, in-  
 quit, *gradus ad orationem* (quæ contri-  
 tionem

tionem & præcedere & cōcomitari debet) erit verè humilis ac demissus animus; scelerum quoque recognitio: Quibus sceleribus intelligat, qui ad Deum accedit, se non modo dignum non esse, qui quidquam impetret à Deo; sed qui ne in eius quidem conspectum veniam oraturus.

Quare nequaquam cōfidendum est nostris precibus, lachrymis, Contritioni, Confessione ac humiliatiōni, tanquā per se dignis, quibus per Absolutionem remissio peccatorum obtingat; sed, ut idem Catechismus in Tract. de orat. Dom. cap. 15. §. *Primum*, inculcat, utendum erit deprecatione & patrocinio Passionis Domini nostri Iesu Christi; sine quā nemo unquam veniam delictorum impetravit . . . . . Nam pretium illud in Cruce à Christo Domino persolutum & nobiscum per Sacramenta, re, vel studio ac desiderio adhibita communicatum, tanti est, ut nobis impetret & conficiat, quod hac petitione (Et dimitte

B §

nob.

nob. deb. n. ) postulamus, ut peccata nostra remittantur.

Quod verò firmam, fixam, omnîsq; dubitationis & hæsitationis expertem fidem ac fiduciam impetrandi concernit; idem Catechismus Rom. in Tract. de orat. in genere, cap. 8. §. 2. ait: *Summus ille de precatore* (cui, & per quem Paternæ Dei benignitati nos confidere oportet) *nobis semper præsto est.* Ac posteaquam hoc ipsum ex 1. Jo. v. 1. & 2. ex Rom. 8. v. 34. ex 1. ad Timoth. 2. v. 5. & ex Hebr. 2. v. 17. probavit, hæc subdit: *Quare, etsi nos indigni sumus, qui impetremus, tamen optimi dignitate interpretis ac deprecatoris Jesu Christi sperare, & magno opere confidere debemus, nobis omnia, quæ PER ILLUM ritè petierimus, concesserunt Deum . . . . Quod si qui timubant interdum, nec se satis esse firmos in fide ( id est, in fiduciâ per Christum ad Deum habendâ ) sentiunt; utantur illâ voce Apostolorum ( Luc. 17. v. 5. ) Domine adauge nobis fidem &c. Et §. 1. dicit*

dicit cum S. August. (serm. 36. de verbis Domini) *Si fides defecit, oratio perit*; ac subdit: **CAPUT IGITUR EST ad ritè orandum; UT FIDE** (i.e. fiducia de impetrandâ **PER CHRISTUM** remissione peccatorum) **FIRMI AC FIXI SIMUS** . . . Et post plura hoc ipsum probantia, laudat illa S. Ignatii M. epist. 10. ad Heronem: *Noli dubio esse animo in oratione: Beatus est, qui non dubitaverit.* moxque subjungit: *Quare ad impetrandum quod velimus à Deo, maximum pondus affert fides, & (omni dubitatione sublatâ) certa spes (per Christum, quæ petimus) impetrandi. Quod monet S. Iacobus (cap. 1. v. 6) Postulet in fide; nihil hesitans.*

*Immo verò, inquit idem Catechismus Rom. in Tract. de orat. Dom. cap. 23. in fine) summo studio petimus hac ipsâ voce (Amen) ut omnia fiant, id est, concedantur, quæ antea petimus: vel potius intelligentes, NOS JAM IMPETRASSE omnia; ac sentientes præsen-*

*sem vim divini auxilii, illud cum Prophe-  
tâ (psalmo 53.v.4.) canimus: Ecce  
enim Deus adjuvat me; & Dominus sus-  
ceptor est anima mea Nec est, quod quis-  
quam dubitet; quin & NOMINE  
FILII SUI (in quo petimus) & verbo,  
quo soepissimò is usus est, moveatur De-  
us. Plura in hâc rē vide ibid. cap. 15. sub  
initium, & cap. 21. sub finem.*

*Denique in Tract. de Pœnit. Sacram.  
cap. 2. docet, quòd non aliter accipien-  
da sit vox sacerdotis peccata nobis legiti-  
mè condonantis, quàm Christi Domini;  
qui ait paralytico: Confide fili; remit-  
tuntur tibi peccata tua, Matth. 9. v. 2.  
quòdque (cum nemo salutem, nisi per  
Christum, ejusque Passionis beneficio  
consequi possit) vi & efficientiâ Sacra-  
menti Pœnitentiæ (in Absolutione confi-  
stentis) Christi sanguis ad nos defluens  
peccata post Baptismum admissa eluat;  
atque ita nos reconciliationis beneficium  
illi uni salvatori nostro acceptum re-  
ferre profiteamur.*

ARTI-

## ARTICVLVS V.

Plurimos denique Confitentes verâ  
 & necessariâ Attritione carere ma-  
 nifestū est ex eo, quòd plurimi fru-  
 striferam satisfactionem iuxta do-  
 ctrinam Ecclesie injungendam,  
 fugiunt & omnino de-  
 clinant.

I. Quòd Contritio genericè sumpta,  
 id est tam perfectâ quàm imperfectâ,  
 propositum satisfaciendi includat, cum  
 B. Alberto Magno in Parad. animæ cap.  
 39. & D. Thoma in supplem. 3. partis qu.  
 I. art. I. omnes sani Doctores tradunt.

II. Adeo inter se hæ partes connexæ  
 sunt [ inquit Catechismus Rom. de  
 Pœnit. Sacram. c. 5. ] ut Contritio, con-  
 fitendi & satisfaciendi consilium & pro-  
 positum inclusum habeat; Confessionem  
 Contritio & satisfaciendi voluntas; sa-  
 tisfactionem duæ reliquæ antecedant.  
 Quare & voluntas [ delicta, sive injuri-



as & contumelias DEO factas , per congrua humiliationis officia ] *compensandi requiritur* ; IN QUO MAXIME CONTRITIO VERSATUR ; & *pœnitens sacerdotis* [ secundum Ecclesie doctrinam procedentis ] *judicio, qui DEI personam gerit, se subijciat necesse est , ut pro scelerum magnitudine pœnam constituere in eum possit.* Et sub initium ejusdem Cap. cum S. CHRYSOSTOMO , serm. 5. de Pœnit. dicit : *Pœnitentia* [ nimirum interior , si sit vera ] *cogit peccatorem omnia libenter sufferre : in corde ejus Contritio ; in ore Confessio ; in opere tota humilitas, vel fructifera satisfactio.*

III. Rectissime profectò : Nam tristitia & pœnitentia , quæ secundum DEUM est, Apostolo 2. ad Corinth. 7. v. II. testante , inter alia in pœnitente operatur INDIGNATIONEM & VINDICTAM : *indignationem* quidem, quâ, ut B. LANFRANCUS ex S. AMBROSIO dicit, homines *indignantur*

nantur in se, vel in alios peccantes; vel, ut REMIGIUS ANDISIODORENSIS exponit, quâ indignatur homo sibi metipso; vel, ut ipse CALVINUS 1. 3. instit. cap. 3. §. 15. dicit, quâ peccator secum intus fremit; secum expostulat; sibi irascitur; dum suam perveritatem, suamque in DEUM ingratitude[m] recognoscit.

IV. VINDICTAM verò operatur poenitentia vera, dum poenitentes, ut B. LANFRANCUS ex S. AMBROSIO dicit, quòd deliquerunt, vindicant in se ipsos. Et HILARIUS SARDUS, qui sub finem seculi 4. floruit [hactenus erroneè sub nomine S. Ambrosii, vel Ambrosiastri citatus] Necessè est, inquit, ut quis (in se) vindicet eum [à se offensum] cuius erga se sentit affectum: Et in se ipsum vindicat, qui se causâ delicti affligit. Calvinus quoque loc. cit. Postrema est, inquit, vindicta: quò enim severiores in nos sumus; et acriore censurâ questionem habemus de peccatis

nostris, eò habemus sperare magis propitium ac misericordem DEUM. Et certè fieri non potest, quia anima Divini iudicii horrore percussa [ vel potius enormitatem criminis læsa ab eâ Majestatis Divinæ agnoscens ] partes ultionis in exigendâ de se pœnâ occupet. Et §. 16. *Hac inquit, afflicti animi* [ de se vindictam sumentis ] *sunt propria: in squalore, gemitu, lachrymis esse; fugere splendorem & quemlibet apparatus; omnibus deliciis se abdicare, &c.*

V. AUGUSTINUS MARLORATUS, ex eodem Calvino suo, peccata, inquit, debemus ulcisci, ubicunque sint; sed à nobis potissimum incipere. Ea autem vindicando, DEI iudicium quodammodo antevertimus; quemadmodum alibi dicitur: *si nos judicaremus, non judicaremur.* Moxque sua in illum Apostoli locum commenta hisce *Bublinger* sui verbis concludit: *Atque hæc hactenus de iis, quæ pœnitentiam committantur atque animant; SINE QUIBUS*

BUS NULLA POENITENTIA  
FUERIT JUSTA. Hæc ipsi aded  
Calvinistæ.

VI. Et certè non poteris non tibi-  
met indignari, rigidamque in te ipsum  
vindictam meditari, concipere atque  
decernere; quando nonnihil recogita-  
veris corde, quid feceris, quando pec-  
casti, v. gr. fornicando; adulterando; im-  
pudicitias exercendo; comestiones &  
ebrietates sectando; vindictam viru-  
lentissimam in hominem minimâ te  
contumeliâ lædentem spirando; opes  
tuas per in justitiam augendo &c.

VII. Quando igitur ad Confessionē  
te præparas, hunc similemve in modum  
alloquere temetipsum: Tu, cujus tota  
*gloria*, juxta id, quod 1. Machab. 2. v. 62.  
dicitur, *stercus & vermis est*; Tu, in-  
quam, hæc, aut horum aliqua perpe-  
trando, omnipotentem DEUM, sum-  
mum immensumque Bonum, qui non  
modò te, sed etiam cælum & terram &  
omnia, quæ in eis sunt, *tibi creavit*;  
Qui

Qui

Qui Filium suum unigenitum pro te à gehennâ liberando , atque ad gaudia æterna perducendo in mortem amarissimam simul & ignominiosissimam tradidit ; tibi que eundem non tantum in pretium, sed etiam in cibum dedit: Qui te in filium & bonorum suorum omnium hæredem, atque unigeniti sui fratrem & cohæredem gratiosissimè adoptavit ; Qui te hæctenus à tot malis liberavit & præservavit ; tot bonis & beneficiis cumulavit : qui denique se ipsum tibi in mercedem & præmium repromisit: Tu, inquam, hunc supra quàm dici potest optimum, amantissimum, atque amabilissimum DEUM, Dominum, ac Patrem tuum perfidè ac proditoriè, contra fidem multoties datam, deserere ; atque ad castra Diaboli, juratissimi ejusdem hostis , transire ; ejusque mancipium fieri; quàm inordinatis, foedis ac perversis affectibus, desideriis , & passionibus tuis non satisfacere maluisti!

VIII. Tu,

VIII. Tu, tot tamque immensis beneficiis! tot promissionibus! tot blanditiis, & quodammodo precibus! tot prohibitionibus! tot minis & interminationibus omnipotentis DEI! amantissimi & amabilissimi Patris tui noluisti teneri, quò minus faceres, quæ odit & abominatur anima ejus! immò, ne in ejusdem oculis impudentissimè perpetreres ea, quæ vidente vilissimo scurrâ, nunquam [ ne pro universo quidem mundo] fecisses!

IX. Tu DEO pro immensis ejus beneficiis non nisi maleficia; pro honoribus in jurias duntaxat & contumelias; pro optimis pessima reddere in morem & consuetudinem induxisti!

X. Tu FILIUM DEI, quantum in te fuit, toties rursus juxta Apostolum ad Hebr. 6. crucifixisti, quoties iterum iterumque peccâdo semper nova Crucis & Mortis ejus causa fuisti! tot videlicet & tanta crimina perpetrando, ob quorum singula FILIUM DEI crucifigi

cifigi

cifigi necesse fuit ; vel pro quorum nullo, nisi per mortem CHRISTI in patibulo Crucis satisfieri potuit, aut poterit unquam! Quæque omnia & singula sic abominatur & odit Filius DEI, ut, si justitiæ ratio id ferret, rursus crucifigi, quàm eorum aliquod fieri mallet: Mortem quippe Crucis nunquam odit, sed pro abolitione peccati libentissimè est amplexatus ; peccatum verò contra ipsam ejus naturam & est, & fuit, & nunquam non erit.

XI. Tu eundem DEI FILIUM immundissimorum affectuum tuorum pedibus toties, juxta Apostolum ad Hebr. 10. v. 29. *conculcasti* ; ejusque pretiosissimum *sanguinem*, libertatis ac salutis tuæ pretium, *pollutum duxisti*. & quantum in te fuit, polluisti; quoties, eodem nihil curato, post concupiscentias tuas eundo, te Diabolo reddidisti in servum ; ac proinde pretium illud immensum, non quidem speculativè, sed practicè, rebus profanis & vanis;  
immò

immò foedis ac pollutis posthabuisti !  
id quod utique est Christi sanguinem  
moraliter polluisse ac conculcasse !

XII. Hæc fecisti ; & non horreas te  
ipsum ! non tibi met indigneris ! non fre-  
mas & frendeas contra nefandam in-  
gratitudinem, turpitudinem & impu-  
dentiam tuam ! non desideres à sacerdo-  
te, juxta S. Scripturæ & Ecclesiæ regulas  
cum quantâ potest misericordiâ arbi-  
trante, poenitentiam aliquam affli-  
ctivam, quæ mereatur nomen *vin-*  
*dictæ* !

XIII. Profectò ; qui sic affecti non  
sunt, peccatorum suorum gravitatem ;  
& quid sit DEUM offendisse, nequa-  
quam agnoscunt ; ac proinde de eisdem,  
quatenus sunt DEI offensa, non do-  
lent : Quamvis enim sine vindictâ & sa-  
tisfactione externâ (utpote obvirium &  
temporis defectum sæpenumerò im-  
possibili) Poenitentia & Absolutio possit  
esse vera & valida ; *indignatio* tamen, ac  
per consequens appetitus *vindictæ* jam  
*dictæ*,



46 *Pseudo-pœnitens correctus.*

dictæ, i. e. votum, desiderium, propofitum, & bona voluntas, satisfactionem suis peccatis, & (quæ corporis, quæ animi) viribus aliquatenus proportionatam præstandi, ad Pœnitentiæ veritatem & Absolutionis valorem omnimodis est requisita. *Contritio includit aliquam satisfactionem, in voto saltem, inquit Scotus in 4. dist. 15. qu. 1. art. 3. ad 2.*

XIV. Optimè GUILLERMUS Paris. in Tract. de Sacram. Pœnit. cap. 10. *sufficit, inquit, quòd dolor vulnerum peccatorum sit tantus, ut faciat agere querere pœnitentialis Sacramenti medicinam, tradereque se regendum ac medicandum spirituali medico; videlicet Confessori, juxta Ecclesiæ doctrinam agenti ac procedenti.*

XV. Id verò ipsum uti sufficit, ita & necessarium est: *Non enim intrat pœnitentialis Sacramenti refugium (inquit ibid. c. 8. GUILLERMUS) nisi qui præconi spirituali, id est Confessori se tradit crucifigendum; hoc est cruci pœnitentiæ affigendum.* XVI. *Olim,*

XVI. *Olim, inquit, BELLAR.*  
 Conc. 9. pro Dom. 4. Advent. post me-  
 dium, *cum multò melius Christiani in-*  
*telligerent necessitatem Pœnitentiæ,*  
*quam nos faciamus; cumque apud se co-*  
*gitarent, & perpenderent, quanto faci-*  
*lius hic in terris, quam in Purgatorio sa-*  
*tis fieri possit pro peccatis; pœnitentiâs*  
*longissimas atque asperrimas 7. 15. 20.*  
*30. annorum, interdum etiam totius vi-*  
*tae, libentissimè admittebant & exple-*  
*bant; ut ex libro Tertulliani de Pœnit. &*  
*aliis vetustis autoribus cognosci potest.*  
*At verò hodie ita delicati, ita teneri ef-*  
*fecti sumus, ut vix paucorum dierum*  
*jejunia pro multis sceleribus atque de-*  
*licitis sustineri possint: Cilicia verò & ci-*  
*neres, Vigilia, humicubationes, flagella,*  
*& alia carnis afflictiones non solum in*  
*moribus nostris, sed vix jam in libris*  
 ( hoc nostro seculo de Sacramento  
 Pœnitentiæ per Viros privatos magno  
 numero scriptis ) *reperiuntur. In Conci-*  
*lîo Toletano x. legimus POTAMILIUM*  
 quere-

quere-

quendam, qui cum Episcopus eſſet, & ſemel tactu fœmineo ſorduiſſet, ipſe ſe primùm nullo cogente in ergaſtulo quodam concluſit, atque ibi novem menſium pœnitentiam egit; deinde ad Concilium literas dedit, quibus peccatum ſuum ſponte ſuâ prodidit: Patres verò Concilii illius, pœnitentiam ei PERPETUAM QUOUSQUE VIVERET, injũxerunt; ut perpetuò in humilibus & abjectis officiis deſerviret; & nihilominus affirmârunt, HUMANIUS ET MISERICORDIUS MULTO cum illo actum eſſe, quàm antiquorum Regula & ſeveritas patiantur.

XVII. Et quantum, obſecro, nos ab hoc genere Pœnitentiæ abſumus! ſed quid ait Scriptura? Qui timet pruinam, cades in eum nix. Job. 6. Nos exigua & brevis Pœnitentiæ aſteritatem formidamus! & longiſſimas Purgatorii vel Gehennæ incurramus! Unde tantus torpor in nobis! tanta ſegnities! tanta teneritudo? niſi ex eo, quòd nò intelligimus, quid ſit DEUM  
offen-

offendere! Et quid hinc sequitur? nisi ut  
~~quam~~ QUAMPLURIMI TURMA-  
 TIM IN GEHENNAM DES-  
 CENDANT; non solum ex iis, qui  
 (deficiente Confessario, aut Contritio-  
 ne perfectâ) non confitentur; sed etiam,  
 qui confitentur: Quia nimirum plurimi  
 ex iis malè confitentur; omnes autem  
 illos, qui malè confitentur, in ghe-  
 nnam descendere Bellarminus non du-  
 bitavit; qui & subdit ibidem: VERE  
 DICO VOBIS! DILATAVIT IN-  
 FERNUS ANIMAM SUAM! ET  
 DESCENDUNT AD EUM SINE  
 NUMERO! Quia videlicet innumeri  
 Alligaturâ salutari, quâ & curentur, &  
 à recidivâ præserventur, alligari à sacer-  
 dotibus nolunt.

XVIII. *Argumentum vera pœnitentia est, inquit B. ALBERTUS M. de-  
 bita commensuratio pœnae contra cul-  
 pam; ut secundum quantitatem culpæ sic  
 quantitas & gravitas pœna; secundum  
 delectationem culpæ sit amaritudo pœna;*

C

se-

50 *Pseudo-pœnitens correctus*  
*secundum diuturnitatem culpa sit diu-*  
*turnitas pœna; & secundum multiplici-*  
*tatem culpa sit multiplicitas pœna; jux-*  
*ta illud Joannis : Facite fructus dignos*  
*pœnitentiæ. Ita ille in Paradiso animæ*  
*cap. 41. Et S. BERN. De gradibus*  
*Humilit. c. 18. Qui veraciter pœnitet,*  
*laborem pœnitentiæ non abhorret.*

---

## CAPUT II.

*DE SATISFACTIONE CONGRUA*  
*A SACERDOTIBVS INIUNGEN-*  
*DA; nec non DE ABSOLVTIONIS*  
*BENEFICIO SVBINDE*  
*DIFFERENDO.*

### ARTICULUS I.

*Doctrina Ecclesie, & sanctorum solem-*  
*niorumque Doctorum in medium*  
*affertur.*

I. **U**ltimum Generale CONCI-  
LIUM TRIDENTINUM,  
uni-

universalem DEI Ecclesiam repræsen-  
 tans, postquam sess. 14. cap. 2. docuit,  
 quòd post Baptismum relapsi, deinceps  
 ad plenam peccatorum omnium ( quoad  
 omnem & culpam & poenam ) remis-  
 sionem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine  
 nostris **MAGNIS FLETIBUS ET**  
**LABORIBUS,** pervenire nequaquam  
 possimus; ibidem post aliqua cap. 8. sub-  
 dit : *Debent ergo sacerdotes Domini,*  
*quantum spiritus & prudentia sugges-*  
*serit, pro qualitate criminum, & poeni-*  
*tentium facultate, Salutares & CON-*  
**VENIENTES SATISFACTIO-**  
**NES** *injungere ; ne, si fortè peccato con-*  
*niveant, & INDULGENTIUS cum*  
*poenitentibus agant, levissima quædam*  
*opera pro gravissimis delictis injungen-*  
*do, ALIENORUM PECCATO-*  
**RUM PARTICIPES EFFICIAN-**  
**TUR.** *Habeant ergo præ oculis, ut sa-*  
*tisfactio, quam injungunt, sit non tan-*  
*tum AD NOVÆ VITÆ CUSTO-*  
**DIAM, ET INFIRMITATIS ME-**  
**C 2 DICA-**

DICAMENTUM ; SED ETIAM  
PRÆTERITORUM VINDI-  
CTAM, ET CASTIGATIONEM.

II. RITVALE ROMANVM ea-  
dem illa inculcans, hæc verba subjun-  
git : *Quare* ( sacerdos ) CVRET,  
QANVTVM FIERI POTEST, VT  
CONTRARIAS PECCATIS  
POENITENTIAS INJUNGAT ;  
*veluti avaris elemosynas, libidinosi je-  
junia, vel alias carnis afflictiones ; su-  
perbis humilitatis officia, desidiosis devo-  
tionis studia, &c.*

III. CATECHISMVS ROMA-  
NVS, Tit. de Pœnit. Sacram. cap. 13 illis  
omnibus, quæ ex Cōcilio Trid. & Ritu-  
ali Rom. allata sunt, inculcatis, hæc ad-  
dit: *Alterum* ( quod in satisfactione re-  
quiritur, est ) *ut ejusmodi opera suscipi-  
antur, quæ naturâ suâ DOLOREM  
ET MOLESTIAM AFFERANT :*  
*Cum enim præteritorum scelerum com-  
pensationes sint ; atque, ut S. Martyr Cy-  
prianus ait, redemptrices peccatorum ;*  
OM-

OMNINO NECESSE EST, UT ALIQUID ACERBITATIS HABEANT . . . . *Maximè convenit, pœnitentibus præcipere, ut certis ALIQUOT ET DEFINITIS DIEBUS orationi vacent. Hortari etiam eos oportet, ut soepe eadem satisfactionis opera, à sacerdote indicta ultro suscipiant ac repetant; atque ijs omnibus, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent, diligenter absolutis, tamen Virtutis pœnitentiæ studia nunquam intermittant.*

Et Cap. 10. *Diligenter providendum est [Sacerdoti] ut ea remedia agnato adhibeantur, quæ ad illius animam sanandam, & in posterum contra vim morbi muniendam, aptiora esse videntur. Ex quo poterunt fideles colligere cuius maximo studio curandum esse, ut eum sibi sacerdotem deligat, qui (inter alia requisita) QUÆ CUIQUE SCELE- RI POENA CONVENIAT, OPTIME NORIT.*

IV. SACRAMENTALE AM-

C 3

BRO-



54. *Pſendo pœnitens correctus.*

BROSIANUM, supra cap. I. art. 2. num. VII. laudatum, *Cum*, inquit, *hæc* [ne videlicet alicui pœnitentiæ opera in ruinam injungat] *Parochus pro prudentia charitateque sua spectabit; tum verò maxime videbit, ut ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat.* ID QUOD ET CONFESSORIBUS ET PœNITENTIBUS PERICULOSUM EST; cum id à *sacris literis, & à Conciliorum decretis, & à sanctorum Patrum sententiâ alienum sit: Nam Divina litera ab ijs, qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant; atque ad Dominum convertantur in jejuniis, & fletu, & planctu. Et verò, qui pro peccatis gravibus leves quosdam pœnitentiæ modos imponunt, hi, Canon. (38. Concilii Cabillonensis 2. anno 813. celebrati) inquit, consuunt pulvillos sub omni cubitis manus; & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas (juxta Ezech. 13. v. 18. & 19.*

Et

Et post aliqua : in peccati gravitate perpendens ( sacerdos ) quoties ( id confitens ) admiserit: Nam si quis in eodem genere soepius offenderit, dignus est, qui graviori pœnitentiâ afficiatur.

Atque hæc quidem pœnitentiæ genera à sanctis viris accepta pro peccatorum ratione adhiberi poterunt: Ut egenis hominibus cibum suppeditet, ac ministret [pœnitēs] pedes item lavet. Ut peregrinos pro facultatum ratione hospitio excipiat. Ut aliquot diebus carne, aut vino item abstineat. Ut certis diebus, præsertim feriâ 4. 6. & Sabb. jejundet; vel etiam vescatur solum pane, & aqua potusetur. Ut, si facultates supererunt, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in eleemosynam pauperibus Christi conferat. Ut humi aliquamdiu jaceat, cubetve. Ut flagella certis præscriptis diebus sibi adhibeat. Ut cilicium aliquot dies induat. Ut statos psalmos pœnitentiales, aliasque pœnitentiales preces piè recitet aliquot

56 *Pseudo-pœnitens correctus.*

*dierum spatio &c.* Vide Acta Ecclesiæ  
Mediolan. anno 1645. Parisiis impressa,  
à pag. 405. usque ad 417.

Tractatus quoque de ratione ad-  
ministrandi Sacramentum Confessionis  
ab eodem S. Cirilo Borromæo editus,  
& à possevino Bibliothecæ selectæ lect.  
1. lib. 3. cap. 23. laudatus, *Est, inquit,*  
*præterea consilium, absolutionem differ-*  
*re, donec evidens appareat emendatio*  
*in iis, qui tametsi dicant ac polliceantur,*  
*quod se eximent peccato; tamen Con-*  
*fessario probabilem faciunt metum, ne*  
*contrarium contingat &c.*

V. INSTITUTIO CHRISTIA-  
NA Moguntinensis, supra cap. 1. art. 2.  
num. 8. laudata, *De satisfactione. §. 1. fol.*  
*196. pag. 1. Sic, inquit, temperanda sunt*  
*(à Confessariis) pœnitentiæ exercitia, ut*  
*molesta sint sensui carnis; & pœnam ha-*  
*beant. Et §. Longum esset fol. 201. & 202.*  
*Multos tulit ætas nostra, qui consueverunt*  
*putvillos sub omni cubitu manus, &*  
*faciunt cervicalia sub capite uniuersæ*  
*ætatis*

aratis ad capiendas animas: Qui contra Evangelii vigorem veniæ facilitatem promittentes, MALITIAM HOMINUM IN IMMENSUM AUGENT. Nimirum ista Diaboli est nociva persecutio, sub falsâ securitate incautas animas ad certum interitum venantis: Dum enim spe facilis veniæ nihil metuitur, scelera sceleribus cumulâtur.

Olim, qui deliquerant, ad Communionem non recipiebantur, antequam plenâ pœnitentiâ pro delictorum qualitate satisfacissent; nisi aut mors urgeret, aut alia ingens necessitas cogeret reconciliationem accelerare: Quo tamen casu adiciebatur **CONDITIO**, ut, si Domini gratiâ convaluissent, **PRO PEC-CATI MENSURA** canonicam satisfactionem adimplerent: Eamque publicam injungebant, non pro manifestis tantum, **SEDETIAM PRO OCCULTIS DELICTIS** gravioribus; nimirum ante Absolutionis beneficium implendam. Quod etiam in occultis

C §

cri-

58 *Pseudo-pœnitens correctus.*

*criminibus, quæ graviora essent, interdum fieri solitum erat, inquit Catechismus Rom. de Pœnit. Sacram. cap. 12.*

VI. JOANNES DE LUGO, è Soc. J. ab anno 1643. ad 1660. S. R. E. Cardinalis, ann. æt. 77. 20. Aug. defunctus, De Sacram. Pœnit. disp. 14. sect. 10. num. 170. in editione Lugdun. ann. 1636. p. 259. testatur esse COMMUNEM THEOLOGORUM DOCTRINAM, quòd Confessarius possit aliquando obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam ante Absolutionem; quando judicat id esse necessarium, vel utile pœnitenti. Et num. 171. Cum, inquit, Confessarius judicat expedire dilationem Absolutionis, ad hoc, ut pœnitens reddatur magis cautus, ne ita facile postea relabatur; potest certè DEBET aliquando, ut Medicus hoc remedium pœnitenti adhibere.

VII. SYNODUS ARCHIDIOECESANA PRAGENSIS, anno 1605. celebrata atque excusa; & ann. 1650. ex speciali

speciali mandato Eminentissimi Cardinalis ab Harrach Archiep. Prag. recusa, Tit. de poen. pag. 78. pro peccatis gravibus levissima pœnitentia non imponantur; alioquin, ut Canon. ait, consuevit [ sacerdos ] pulvillos secundum Propheticum sermonem sub omni cubitu manus; & facit cervicalia sub capite univ[er]sæ etatis ad capiendas animas, &c.

Quos in graviora crimina frequenter ex pravâ consuetudine incidisse animadvertit, ijs ad aliquot dies, atque adeo menses, prout morbi gravitas exigere videtur, Absolutionem differat ita tamen, ut illos sanare, non autem in desperationem aut confusionem inducere piè prudenterque procuret.

Rectissimè A. R. & exim. P. JOAN. SCHWEITZER ord. Erem. S. Aug. in almâ univ[er]s. Colon. ff. Theol. D. & Prof. ord. in *Dissertat. de sufficientiâ & necessit. Pœnit. an. 1678. à 9. Doctores Colonienf. approbatâ, Dub. 9. Conclus. 4. p. 205. Frequenter, inquit,*

*relabentibus in eadem peccata mortalia non semper & indiscriminatim est danda Absolutio ; sed interdum non solum utiliter, Verùm etiam NECESSARIO debet negari, aut differri . . . sed cavendum est confessorijs, ne nimis dure agant etiam cum hujusmodi consuetudinarijs ; nec tam indiscretè eos dimittant, ut scandalizentur, & Sacramentum Confessionis contemnant ; sed potius intelligant se dimitti in bonum suum. Et conclus. 5. Non semper aut Communiter relabentibus frequenter in peccata mortalia, ejusdem, vel diversa speciei est neganda aut differenda Absolutio ; multo minus illis, qui tantum semel atque iterum sunt relapsi ; donec præmiserint satisfactionem. Si nimirum parati sint adhibere media, à sacerdotibus, juxta Ecclesiæ, & sanctorum doctrinam judicantibus præscribenda ; neque neglexerint ea, quæ jam aliàs eadem methodo fuere præscripta atque injuncta.*

*Ut verò non sacerdotes plenius agnos-*

agnoscant, non posse nos sacerdotes, absque horribilium pœnarum reatu, brachio ita levi Absolutione, & sacram Communionem dare, ut sibi non pauci in propriam (licet non agnitam) perniciem fieri volunt; hinc adferam nonnulla, quæ à magnis quibusdam Prælati & Doctoribus, tam in sacerdotes, qui hac in causâ non satisfaciunt officio suo, quam in pseudo-pœnitentes sunt scripta & prædicata. Eadem igitur in correctionem & salutem tuam legere non graveris.

VIII. CARDINALIS BELLARMINUS Conc. 8. pro Dom 4. Advent. illi, inquit, *se ministros & dispensatores [mysteriorum Dei] non agnoscunt, qui, quasi non essent Domino rationem reddituri, summâ facilitate omnibus manum imponunt; & tam contritos, quam non contritos; tam plenè & perfectè confitentes, quam peccata sua quadam confusâ generalitate involventes; TAM SATISFACERE PARATOS, QUAM*



62 *Pfendo pœnitens correctus.*

QUAM NON PARATOS , quasi propria potestate & authoritate absol-  
vunt. Isti sua imperitia & superbia cor-  
rumpunt populos, & eis vera poeniten-  
tia viam præcludunt : NEC ENIM  
ESSET HODIE TANTA FACI-  
LITAS PECCANDI , SI NON  
ETIAM TANTA FACILITAS  
ABSOLVENDI.

*Veniunt homines onusti peccatis , &  
qui millies in eadem ceciderunt ; & ve-  
niunt soepe sine ullo signo doloris VEL  
PRIDIE, VEL IPSO DIE SUMMÆ  
CELEBRITATIS. Et STATIM  
ABSOLVI, & ad sanctorum mysterio-  
rum communionem accedere volunt :  
Et nos iudices inconsiderati ! dispensa-  
tores infideles ! omnibus manum imponi-  
mus ! omnibus dicimus: Ego te absolvo ;  
vade in pace !*

*SEU VÆ NOBIS , cum Dominus  
rationem ponet cum servis suis ! servi  
sumus ; dispensatores sumus ; non Domini  
sumus : Causam Dei , non nostram agi-  
mus ;*

mus; offensas Dei, non nostras remittimus; bona Dei, non res nostras dispensamus.

Hinc videlicet B. Augustinus in epist. 148. Nihil est, inquit, in hac vitâ, & maximè hoc tempore facilis & latius, & hominibus acceptabilius Episcopi & Presbyteri officio, si perfunctoriè & adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserius & tristius & damnabilius. Et B. Joan. Chrysof. homil. 3, in Acta, Non temerè, inquit, dico; sed ut affectus sum ac sentio: Non arbitror interfaceres multos esse, qui salvi fiant; sed multò plures, qui pereant: unius enim anima perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratione possit estimari .....

Passim videbitis euntes homines ad confessionem; & licet neque dolorem peccatorum, neque verum propositum non amplius peccandi; neque DESIDERIUM SATISFACIENDI præteritis habeant; tamen omnino cupiunt

unc

64 *Pseudo-pœnitens correctus.*  
unt absolvi. Et si casu aliquo Confessari-  
um sapientem inveniunt, qui eis aper-  
te dicat: Frater; ego hic sedeo, non ut Rex,  
sed ut iudex. . . . Ego, qui servus sum,  
non ex liberalitate, sed ex iustitiâ boni  
Domini mei dispensare debeo; si, in-  
quam, talem Confessarium fidelem &  
prudentem nacti fuerint, quarunt sibi  
alium, & ab eo absolutionem quoquo-  
modo extorquent; & tum verè se liberos  
& absolutos putant; cum sint miseri, dup-  
plici vinculo colligati [ priorum videli-  
cet peccatorum, & sacrilegii, eisdem per  
indignam Absolutionis susceptionem  
recenter adjecti. ]

Mox verò Bellarminus Dominum  
Deum introducit sacerdotibus ita lo-  
quentem: si rursus ad vos pro medici-  
nâ peccatorum venerint homines, quos  
semel ( Baptismo aquæ ) lavistis, non  
amplius eos lavabitis Baptismo aquæ  
frigida; sed abhibere Balneum ferventis  
aquæ; & eorum pellem [ dignos pœni-  
tentiaæ fructus & labores injungendo ]  
dili-

diligenter excoquite ; ut aliàs sint prudentiores, & majori vigilantia caveant flagitia, &c.

Quare, auditores optimi, si bonam, & utilem, si salutarem Confessionem facere vultis... balneum istud calidum magno animo ingredi debetis ; & primum **DIU ET MULTUM** in amaritudine anime peccata præterita recogitare ; Deinde ea largis **ET DIUTURNIS** imbribus lachrymarum abluere ; **TUM** sacerdotem probum & eruditum adire, qui non solum absolvere, sed etiam remedia morbis & ægritudinibus accommoda adhibere sciat ; postremo totis viribus, bonis operibus, & eis potissimum, quæ sacerdos iusserit, insudare ; & alijs pœnitentiæ laboribus sponte assumptis Domino satisfacere. Aspera tibi ista videntur ? cogita duriores & asperiores esse gehennam ! Hæc & plura his similia Bellarminus.

Quod autem additur de lachrymis, accipiendum est de lachrymis voluntatis,

tis,

is, inquit B. Albertus Magnus: *Quamvis enim aliquando fluant etiam lachrymæ corporales; hæc tamen necessario non requiruntur sed sunt signum & effectus Contritionis.* Hæc ille in 4. dist. 16. art. 8.

IX. SYNODUS GEBENNENSIS [cujus canones & decreta, quamvis non S. Francisci Salesij (an. 1622. defuncti) verbis, ejus tamen spiritu formata esse testatur dignus ejusdem successor] 4 parte, tit. 9. cap. 5. *Nihil, inquit, perinde Ecclesiam de decorato; nihil ita ejus violat disciplinam; nihil ita fovet peccatores in somnolentâ peccandi consuetudine, quàm probrosus ille mos, quo quidam Presbyteri peccata relaxant, non tanquam judices, qui prudenti & gravissimum discussionem discernant, nisi pro reo pro eo possint pronuntiare; Verùm tanquam mancipia, quæ præcipiti & adulate indulgentiâ peccatoribus blandiuntur.* De istis adulatoribus dicit Cyprianus, quod inducant in Ecclesiam dul-

cena

†  
pro  
reo

†

cem crudelitatem, misericordia & clemencia nomine palliatam: Deque istorum Pace (id est Absolutione) quam dant peccatoribus, idem asserit Cyprianus, quod sit irrita & falsa pax; PERICULOSA DANTIBUS, ET ACCIPIENTIBUS NIL PROFUTURA.

Et post aliqua: siquidem varii Presbyteri se faciles exhibent in danda peccatorum remissa, modo peccatores respondeant emendationem, & elongationem a peccandi occasione proxima... DILIGENTER INQUIRENDUM EST, NUM IDEM NON SOEPUS PROMISERINT: Nam si id ipsum promiserint identidem, nec promissum adimpleverint; presbyter illorum verbis non debet credere; sed differre Absolutionem, quousque ab istis occasionibus peccandi recesserint; & quousque per aliquod temporis spatium ad eas non redierint: Nam, si detur Absolutio sine spe probabili, quod poenitens stabit promissis, sanguis Christi profanationi expo-

expo-

exponitur; & presbyteri iteratarum pro-  
lapsionum, & illorum malorum se neos  
constituunt, quæ ex falsis nascuntur Ab-  
solutioibus; QVIBVS PERIT TVM  
PRESBYTERORVM, TVM POE-  
NITENTIUM MVLTITVDO IN-  
FINITA. ita refert Reverendissimus &  
Illustriss. D. Joannes, Episcopus Castori-  
ensis, & Vicarius Apostolicus, Tract.  
3. de cultu Sanctorum, §. 29. in edi-  
tione Embricensi, anno 1675. factâ, p.  
280. & 281. Nam sola hæc synodi Ge-  
nevensis verba ex ipso fonte non hausi.  
Sufficit verò testimonium, immò &  
doctrinæ hæctenus allatæ pondus non  
exiguum addit consensus tanti Ecclesiæ  
Prælati.

X. S. THOMAS DE VILLA  
NOVA, ex Ordine Eremitarum S.  
Augustini, & Ecclesiæ Caroli V. ab  
anno 1544. ad 1555. Archiep. Valenti-  
nus in Hispania, in serm. pro feria 6.  
post Dom. 4. in Quadrag. post med.  
PRIUS, inquit, vadat (confitens) &  
con-

concupinam è domo pellat ; pecuniam  
alienam restituat ; contractus usufructuosos  
rumpat ; famam proximi lesam , prout  
potest , resarciat ; mercenariorum labores  
& pauperum debita solvat ; offenso Fra-  
tri reconcilietur , & veniam petat : Et  
TUNC ad Confessarium redeat & ab-  
solvatur. Hic rectus est Ordo ; HUNC  
ORDINEM NE TRANSGRE-  
DIARIS : Væ ! qui consuunt pulvillos  
sibi omni cubitu manus , &c.

Quid Ecclesiam Domini hodie per-  
dit , nisi Confessariorum & Pastorum  
blandiens adulatio ? delinens demul-  
censque assentatio ? Væ miseris ! &c.

Blandæque istius indulgentiæ dam-  
nandâ indignitate plurimis acerrimè  
perstrictâ , idem sanctus ibidem PIE  
IMPIOS , ET IMPIE PIOS vocat  
Confessarios illos , qui , ne penitentem  
aliquantisper contristent , illum in suâ  
nequitia manere permittunt.

At quanto , ait , melius esset ad mo-  
dicum contristare , quàm in æternum  
dam-

dam-



*damnare!* Apostolum audiamus, qui  
 ( 2. ad Cor. 7. v. 8. & seqq. ) sic ait:  
 Etsi contristavi vos in Epistolâ, non me  
 pœnitet. Ecce enim hoc ipsum se-  
 cundum Deum contristari vos, quantam  
 in vobis operatur sollicitudinem: in-  
 dignationem. **VINDICTAM!** *Hec  
 omnia bona tristitia, quæ secundum Deum  
 est, operatur in homine: Non te pigeat,  
 ô sacerdos, agros moribus sic contrista-  
 re! ( satisfactionem videlicet, quæ ad  
 novam vitam custodiam, & peccatorum  
 vindictam sit, injungendo )*

*Nolo tamen, ut in pœnitentijs injun-  
 gendis plus a quo severior sis. Sic rigo-  
 rem pœnitentiæ temperato, ut neque le-  
 vitas, delicti contemptum; nec gravi-  
 tas omittendi periculum creet. Hæc S.  
 Thomas de Villa nova.*

**XI. POEDAGOGUS CHRIS-  
 TIANUS**, operâ & curâ Patrum  
 Soc. J. Scœpissimè editus, Tom. 1. part.  
 2. cap. 14. §. 2. Duo exempla prorsus  
 horrenda refert; quòd nimirum post  
 seculi

seculi 16. medium duo recens defuncti;  
 unus Hispani in Hispaniâ, anno 1567.  
 alter in Italiâ, Confessariis suis intem-  
 pestâ nocte, quasi ad infirmos evocatis,  
 se tandem inter eundum manifestârint;  
 ac dignas pro piâ impietate, & impiâ  
 pietate gratias agentes, eosdem secum  
 vivos abriperint ad infernum. Narra-  
 tionem fusiorem, & plura alia vide ibi-  
 dem. Adietiam *R. Patris Avengele* ser-  
 monem 25. pro Dom. 4. post Pascha,  
 editionis Moguntinæ, anni 1668. p.  
 245. col. 2.

XII. SPECULUM VIRTU-  
 TUM, ab Anonymo, at sapientissimo  
 quodam Franciscano compositum, &  
 Lubecæ anno 1485. Germanicè im-  
 pressum, Tit. *de Conscientia*, fol 221.  
 pag. 2. *Parisiis*, inquit, *Licentiam*  
 (id est, gradum academicum) *querens*,  
*sciensque de quibus sit examinandus;*  
*profectò insanit, si ejus disciplina se tra-*  
*dat, qui vel simplex est & idiota; vel*  
*docet alia ab illis, qua ipsum responde-*  
*re*

re oportet. HUIUSMODI INSA-  
 NORUM HOMINUM MAGNUS  
 EST NUMERUS! qui sine discrimi-  
 ne ad Confessarios simplices, & confi-  
 tentium animas curare negligentes ac-  
 cedunt; id quod tamen in causa corporis  
 sui mortalis vix facerent. Etenim, si  
 infirmi, vel sauci forent, morbis & vul-  
 neribus suis expertissimum utique, quem  
 invenire possent, Medicum, vel Chy-  
 rurgum exquirerent. At verò luxurio-  
 si, superbi, avari, aliisque peccatis  
 [ quæ vel deserere, vel dignis pœnitentiæ  
 operibus emendare nolunt ] impliciti,  
 sui in peccatis similes, vel saltem simpli-  
 ces Confessarios quarunt; quò gravio-  
 res, quas meruere, pœnitentiæ evitent;  
 fugiuntque sapientes & rectos: ADEO-  
 QUE COECUS COECUM IN  
 FOVEAM INFERNI, VEL UT  
 MINIMUM HORRIBILIS PUR-  
 GATORII DUCIT.

XIII. S. VINCENTIUM FER-  
 RERIUM Dom. 4. post Trinit. serm.

I. §.

1. §. De 5. Virtute, in morali, similia loquentem, ob acriorem censuram, ego hinc referre non ausim.

Tu igitur ipse eundem, nec non B. *Henrici Susonis* libellum de 9. Rubibus, anno 1352. scriptum, cap. 9. in fonte adire velis.

TRACTATUM verò SACERDOTALEM (quem *Stephanus Episcopus Posnoniensis*, à *Nicolao de Plone* Capellano suo compositum, circa medium seculi <sup>15.</sup> de Capituli sui Cathedralis consilio & assensu, præviâ deliberatione approbatum, omnibus & singulis Rectoribus Ecclesiarum parochialium, habendum & tenendum ad unguem perfectè, sub irremissibili poenâ præcepit) hinc omninò debui allegare. In eodem igitur Tractatu, Cap. de Sacramento Poenit. §. De poenitentis injungendis secundum Canones, post pauca de manifestis peccatis acta, expressè etiam de OCCULTIS PECCATIS, qua pertinent ad simplices Sa-

D

cerdotes

74 *Pseudo-pœnitens correctus*  
cerdotes ( id est ad Parochos & alios  
non-Episcopos ) dicitur ; quòd ubi-  
cunque inveniunt taxatam pœniten-  
tiam per Canones , non mutant eam sine  
causa ; ita tamen , quòd non perdant per  
eam peccatorem .

Moxque & immediatè subjungitur ;  
secundùm hoc intellige illud , quòd com-  
muniter dicitur , sed malè intelligitur ;  
quòd pœnitentiæ sint arbitrariae . Vide  
ergo , quicumque iudicas secundùm ca-  
put tuum , injungendo pœnitentias non  
taxatis debitis circumstantiis ( utrùm  
scilicet propter eas sint vel non sint mu-  
tandæ pœnitentiæ à Canonibus taxatæ )  
**QUIA IN MAGNO PERICULO**  
**ES, DECIPIENS TE ET POENI-**  
**TENTEM ;** si arbitraris aliter pœni-  
tentiam , quàm **SPIRITVS SANCTVS**  
**eam dictavit ,** illi pœnitenti impo-  
nendam . Et post pauca . Videat ergo  
Sacerdos , & cautè perspiciat , quòd , ubi-  
cunque pœna à jure expressa est , non o-  
mittat eam imponere ; Nisi necessitas vel  
alia

*alia causa rationabilis aliud suaderet.*

Rursum post aliqua ibidem pluribus docetur, quod, qui imperitos Sacerdotes quærit, ut ab iisdem pœnitentiam minimè proportionatam recipiat, semetipsum decipiat; ac (veluti negligens circa se ipsum) justè negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, & petit, **NE AMBO IN FOVEAM CADANT: QVONIAM STULTVS ERRARE VOLVIT.** Statimque subjungitur: *Audiat ergo unusquisque Confessor, taliter, qualiter sibi placuerit, pœnitentiam imponens; quod* (juxta B. Hieronymum, Capite Non afferamus, 2. 4. quæst. 1. *(illa pœnitentia, qua imponuntur erroneè, & aliter quàm sunt imposita à jure, dicuntur DOLOSÆ ET TEMERARIÆ.*

Tandemque ibidem secundùm Doctores finaliter concluditur, quod tantùm ex causa, scilicet necessaria, pœnitentia possint dici arbitraria, atque à Confessore moderari vel in toto vel in

parte; consideratis circumstantiis personarum, temporum, locorum, ætatum, qualitatum criminis, & aliorum: Quòdque Sacerdos aliàs GRAVITER PECCARET, ET ONERARET SE PECCATIS ALIENIS; juxta eadem illa, quæ hic infra Cap. 2. art. 1. num. 28. sub finem sunt afferenda.

Estque benè notandum; quòd *Tra-ctatus sacerdotalis* jam nunc allegatus, adhuc seculo 15. ex. & 16. ineunte in tanto & pretio & usu non tantùm in Polonia, sed etiam in Germaniâ fuerit; ut in Bibliothecâ nostrâ Hildesimensi extent quatuor ejusdem exemplaria, in solâ Vrbe Argentinenfi, singula diversis annis, nimirum 1488. 1490. 1496. & 1508. impressa.

Ne tamen immaturum & iniquum hîc præjudicium formes; vide sis ea, quæ Capite 2. art. 2. Regulâ 7. & sententibus afferentur.

XIV. D. THOMAS, Theologorum

rum Princeps, & Doctor verè Angelicus, Opusculo 65. De Officio Sacerdotis. *Scientia, inquit, iudicandi similiter necessaria est (Sacerdoti) UT EX ERRORE NON IMPONAT FALSAS POENITENTIAS, PER QUAS ANIMÆ AD INFERNUM TRAHUNTUR. De Pœnit. dist. 9. cap. Fratres: Quia iuxta sententiam veritatis.*

*Si coecus coecum presumat ducere secum,*

*In foveam ductor primus cadit, inde secutor.*

*Sit autem sacerdos ita cautus, ut non imponat poenitentiam ita gravem & austeram poenitenti, ut poenitens totum dimittat: sed nec ita levem imponat, ut peccator contemnat peccatum, & ex levitate poenitentia relabatur liberius ad peccandum. [ An verò injunctio 7. psalmorum, vel unius alteriusve Rosarii absterrebit v.g. fornicarium, ne iterum fornicetur? ] Faciat ergo quoddam*



78 Pſendo-pœnitens correctus.

temperamentum ex miſericordia & ſeveritate ; ut pœnitentia non ſit nimis diſſoluta, nec nimis rigida, &c.

Ut autem ſacerdos ad iſta ſit doctus & cauſus, meditabitur ſcripturas ſacras, & dicta SANCTORUM ; in quibus iſta inueniet , &c. Certè, cum videmus medicos corporum revolvere quotidie & legere libros phyſicales , & medicinales corporum , in quibus docetur curare corpora moritura, MAGNA STULTITIA EST NON LEGERE LIBROS (N.) SANCTORUM, MEDICINALES ANIMARUM ; IN QUIBUS DOCEMVR curare animas in æternum victuras :

Et opusculo 64. Tit. de periculo familiaritatis Dominarum, ſive mulierum, cum tanquam rem malam improbaſſet, quòd ſagitta carnalis affectionis percuffi ſoleant, verecundiæ declinãdæ cauſâ ſæpè Confefſarium mutare, mox ſubjicit : ſed, quod PEJVS EST, cum ipſi deberēt quærere medicos ſpirituales,  
cantos,

cautos, peritos & expertos, qui scirens  
illam agritudinem & causas ejus ag-  
noscere, & CONGRVVM REME-  
DIVM ADHIBERE; non solùm non  
faciunt; sed potius, si semel ad aliquem  
talē pervenerint, ipsum ex tunc fugiunt,  
nec revertuntur ad ipsum. Quærunt  
ergo Confessarios idiotas & simplices;  
qui nec morbum intelligunt; nec causas  
ejus agnoscunt; nec ideo sciunt congruã  
adhibere medicinam. Hæc Doctor  
Angelicus.

XV. JACOBVS DE VITRIACO,  
ex Ord. Canonorum Regul. S. R. E.  
Cardinalis & Episcopus Tusculanus,  
vir sanctissimæ conversationis, nec non  
ingenii, doctrinæ & sapientiæ admira-  
bilis, ann. 1244. defunctus. Domin. in  
Albis, serm. 3. de Evangelio, si sacerdos,  
inquit, pro jejunio unius diei ab omni  
poena criminalium, quæ [ confitens ]  
commisit, absolvit; non approbatur in  
curia coelesti; sed tam sacerdos, quàm  
ille, quem INDISCRETE putat

80 *Pseudo-poenitens correctus.*

*absolvere, in foveam cadunt: ille enim residuum poenitentiae in purgatorio supplebit;* SACERDOS PRO INDISCRETIONE PVNIETVR.

XVI. HUGO DE S. VICTORE  
ex Comitibus de Blanckenburg ad  
sylvam Hercyniam Canonicus Reg. in  
Monasterio S. Victoris prope muros  
Parisienses, ALTER AUGUSTINUS  
dici solitus, & ann. 1140. piissimè mor-  
tuus, Eruditionum Theologicarum lib.  
2. *De Sacramentis*, part. 14. cap. 3.  
poenitentem per sacerdotis inscitiam  
aut negligentiam deceptum, qui se se,  
cum non satisfecisset, satisfecisse credi-  
derat, de hoc conquerentè introducit,  
& docet his verbis: *Quare, inquis, factum*  
*est, ut talem sacerdotem non habeam,*  
*qui dicat mihi hoc, quod [in congruam*  
*satisfactionem facere] oportet? Audi,*  
*quare: Propter peccata tua factum est*  
*hoc; quibus meruisti, ut MALUM*  
*haberes; Quibus, si districtè judicareris,*  
*et hoc merueras, ut nullum haberes.*

*Qui*

Qui, inquit scriptura, regnare facit  
hominem hyprocritam propter peccata  
populi, [Job. 34. v. 30.] Et ego, ait  
(Ezechielis 3. v. 26.) adhaerescere faciam  
linguam tuam palato tuo; & eris mutus,  
nec quasi vir oburgans; quia domus  
exasperans est, &c. Pigritia tua, &  
negligentia tua occasionem torporis qua-  
sivit, non correctionem: Et vidit hoc  
DEVS, & dedit tibi secundum cor  
tuum, ut non inuenires, quod non  
querebas accipere.

Nec tamen dico, quod desperes: Hec  
etiam si contingat, ut homo, qui exterius  
curandis vulneribus peccatorum medi-  
camentum aliquod minus sufficiens  
tribuat.... Magnum est, si in hac vita  
incipere possis, etiam si non perficias: Nam  
& post mortem ignis quidam purgatorius  
datur; ubi purgantur & mundantur,  
qui hic corrigi coeperunt, & non perfe-  
cerunt. Qui autem in hac vita nec incipere  
voluerunt, ibi confirmari non possunt.  
Quibus autem correctionem suam inci-

D 5

pere

82 *Pseudo-pœnitens correctus.*

*pere datur, etiamsi perficere non datur, illic correctionis perfectio reservatur. Tamen tutius omnino est, ut hic & incipere & perficere contendas; ut illic tibi nihil patiendum vel faciendum supersit. DURUM EST TORMENTA ILLA VEL AD MODICUM SENTIRE.*

XVII. B. PETRUS DAMIANI  
ex Ord. S. Bened. S. R. E. Cardinalis, &  
Episcopus Hostiensis anno 1080.  
defunctus ( ad quem Leo IX. jam tum  
anno 1049. rescripsit ) opusculo 13.  
cap. 6. Nonnulli, inquit, Rectores fratrum  
plus tribuentes Monastica Regule, quam  
expediat, QUIBUSLIBET à seculo  
venientibus, etiamsi graviter lapsi sint,  
aliam pœnitentiam non imponunt, nisi  
tantum communem Monasterij ordinem  
servare precipiunt; Quod profecto  
quam sit inconsideratum; quam inhu-  
manum, QUAM PENITUS INDIS-  
CRETUM, QUISQUIS SAPIT  
INTELLIGIT... Qui enim hæc  
agit,

agitur, quid distet inter decem millia  
talenta, & centum denarios, non attendit:  
Nam si ius discretionis inspicitur, &  
unusquisque quò magis gravatur offen-  
sis, eò majori gravandus est pondere sa-  
tisfactionis: Facilius quippe debitor  
solvit, qui mutuatus est unciam, quàm  
qui libram; Nec pari emendatione  
plectendus est, qui ovem rapuit, & ille  
qui bovem.

Quidam frater ad nos de Monasterio  
venit; quid in laicali vitâ commiserat,  
confessus est: Porro debebatur illi septua-  
ginta, si rectè teneo, annorum pœnitētia,  
sicut nobis ex sacrorum Canonum sen-  
tentiâ videbatur. Erat autem ferè jam  
septennis in habitu Religionis; Cumque  
quereremus, pro his peccatis quantum  
jam pœnitentiæ peregisset? respondit,  
Domino quidem Abbati se cuncta fuisse  
confessum; sed eum præter communem  
Monasterij observantiam nullam sibi  
pœnitentiâ indidisse: Quia perhibuit,  
solam conversionem pro omnium pecca-  
torum

rorum suorum Absolutione plenè sufficere. Quid dicam? Fateor, res mihi valde displicuit; dispexi; HORRUI; & HOMINEM DECEPTUM ESSE CLAMA VI: Nimirum qui pœnitentiã necdum haberet inceptam, quam diversis afflictionũ modis jam habere poterat consummatam. Hæc ille. Tu verò nota, quæ & quanta communis Monasterii observantia secum ferat & tulerit ante sexcentos annos; & quantò proinde magis ille decipiatur, cui in seculo manenti pro gravissimis plurimisque delictis non nisi brevissimæ levissimæque preces injunguntur!

Opusculo s. ad Hi' debrandum S. R. F. Cardinalem scripto, eidem hæc refert: In Ecclesiam Mediolanensem antiquius damnabilis illa consuetudo irreperat, ut pro subdiaconatu duodecim, pro Diaconatu decem & octo, pro Presbyteratu verò 24. nummi darentur: quam Wido Archiepiscopus se funditus destructurum ante S. Altare  
in

in ipsius Petri Damiani (Legatū Nicolai II. agentis) manum juravit, & injungi sibi pœnitentiam pro venalitatatis hujus nefando commercio non extirpato est deprecatus. CENTUM ITAQUE sibi annorum pœnitentiam indidit; redemptionēque ejus taxatam per unumquemque annum pecunie quantitate præfixit. Pœnitentia autem, inquit, Clericorum talis est: ii nimirum, qui solūm constituta à diabolo regula canonem dederant, ita ut nonnulli eorum vix peccatum hoc esse cognoscerent, quinque annorum pœnitentiam acceperunt, hoc modo; ut omni tempore, æstate simul & hieme duas dies; duabus autem anni Quadragesimis, Natalem videlicet & sanctum Pascha præcedentibus tres dies per hebdomadam jejunarent in pane & aquâ. Eorum autem, qui plus dederunt, septem annorum est pœnitentia, sub eadem scilicet jejunii quantitate distincta: Postque septennium, quamdiu vixerint sextam feriam jejunabunt. Qui autem jejunare



facile non potest, unum ex his diebus per omnem hebdomadam redimere licentiã habet; ita ut unum psalterium medite-  
tur, aut medium cum quinquaginta metanois ( hoc est totius corporis in terram prostrationibus ) aut unum pauperem pascat, & lotis pedibus nummum porrigat. Hoc insuper Domino Archiepiscopo promittente, quòd omnes orationis causã procul ipse dirigeret, sive videlicet Romam, sive Turonum; ipse autem Archiepiscopus profecturum se ad B. Jacobi venerabilem tumulum, qui est in Hispania, disponebat.

Opusculo 20. cap. 7. refert, quòd, cum aliquando fuerat Episcopo Florentino itineris comes, ipse quidem diverterit in cellam presbyteri; Episcopus verò sese in hospitio, cum comitantium turba recreaverit ludo scachorum; mane autem hoc intelligens, Episcopum acerrimè increparit, quòd manum Dominici corporis oblatricem, & linguam inter Deum & populum mediatrì-

*mediatricem, sacrilegi ludibrij contaminatione foedasset* : Additque, quòd eidem [ primò nullum in hoc facto reatum agnoscenti, postea verò pœnitentiam postulanti ] præceperit, *ut ter psalterium meditando percurreret; ac duodecim pauperum pedes, sub totidem numismatum erogatione, eorumque recreatione [ cum oris impressione ] lavaret.* En pœnitentiam pro peccato veniali injunctam!

Quamvis autem hæ pœnitentiæ, Episcopo Florentino & Clero Mediolanensi injunctæ, non fuerint Sacramentales; nihilominus tamen etiam, & quidem præcipuè in ordine ad placandam Dei offensam fuerunt injunctæ; Nosque erudiunt, quid in similibus, gravioribusque casibus sit, aut foret agendum; Nec est dubium, quin pœnitentia clericis Ecclesiæ Mediolanensis canonicè primùm injuncta, postmodum in proximâ eorundem confessione (quam primùm, ut videtur, secutâ) acceden-

acceden-

accedente clavis Sacramentalis auctoritate, etiam facta sit sacramentalis; ob rationem infra cap. 3. §. 27. 28. & 29. videndam.

NEC TIBI BLANDIARIS, inquit idem B. Petrus Damiani, serm. 2. de S. Andrea ante med. si graviter peccanti levior poenitentia, vel à nesciente, vel à dissimulante dicitur; cum in purgatoris ignibus persiciendum sit, quidquid hic minus feceris: Quia dignos poenitentia fructus quarit Altissimus. Licet autem NON EVASERIT MANUS DEI VIVENTIS qui tibi plene non consilium; tibi tamen ratio Magistra presidet, qua te doceat tantum à licitis abstinere, quantum te meminervis & illicita perpetrasse. Sermo autem ille tribuitur, etià S. Bernardo, & Nicolao ejusdem Notario; estque certissimè unius ex illis tribus; adeoque viri admodum excellentis; immò potest à singulis esse ad populum dictus; quandoquidem nec inconveniens, nec insolitum est, sermonem bonum,

bonum, juris publici factum à pluribus describi, atque ad plebem dici.

XVIII. PETRUS BLESENSIS, ex optimatibus Britannia minoris ortus; Guillelmi 2. Siciliae Regis adhuc pueri, ab ann. 1167. instructor & sigillarius; Totiusque Regni post Reginam & Archiepiscop. Panorm. director; postea ab Henrico 2. evocatus in Angliam, ejusdemque ad Regem Galliarum Legatus; duorum quoque Archiep. Cantuariensium Cancellarius; Archidiaconus Bathoniensis & Londin. in Tract. de Pœnit. vel satisfactione à sacerdote injungenda. Tom. 24. Maximæ Bibl. PP. pag. 1178. H. sunt, inquit, qui pro peccatis gravibus leves & inusitatos injungunt pœnitentia modos; consuetos juxta verbum Propheta pulvillos sub omni cubitu manus; & cervicalia sub capite universæ ætatis. Et Isidorus, de summo Bono: sunt, qui pœnitentibus securitatem citò pollicentur; quibus benè per Prophetam (Jerem. c. 6.) dici-

unt:

*tur: Curabant Contritionem filia populi  
mei CUM IGNOMINIA, dicentes:  
Pax! Pax! & non est pax. Cum ignomi-  
nia inquit [S. Isid.] curant Contritionē,  
qui cito pœnitenti promittunt securita-  
tem ... GRAVITER ITAQUE  
OFFENDIS, si Dominico debitori cul-  
pas, que in Deum sunt, IMPUNE  
dimittis; ac cœlestis Regis debitum tua  
presumptione resolvis. Quis verò bre-  
vissimas preces, in causa peccatorum  
gravium, punientiam, vindictam &  
castigationem appellet? Aut quis neget  
eadem peccata gravia à sacerdote,  
ejusmodi duntaxat preces injungente,  
IMPUNE dimitti?*

XIX. JONAS, AURELIANEN-  
SIS ab añ. 822. usque ad 842. Episcopus,  
atque inter Palatinos Ludovici Pii Imp.  
admodum excellens, Lib. I. de institu-  
tione Laicali, cap. 10. *Illud etiam,  
inquit, minimè prætereundum est, quòd  
quidam, peccatorum suorum conscii,  
imperitos animarum suarum medicos  
expetunt,*

expetunt ; ut sibi ad votum suum pœnitentia tempora imponant ; & peritos ideo declinant , ne austerius pœnitentia eos addicant: si enim peritus medicus ad morbos corporis pellendos queritur ; quanto magis medicus anima peritissimus querendus est ? ut ergo artis medicina nescius , dum curare nescit vulnus corporis , non illud minuit , sed magis plerumque incrementum ei addit: ita & imperitus medicus animarum , dum earum languoribus mederi videri vult , quia his congrua medicamenta nescit adhibere , eosdem languores creditur incrementare. De talibus inquit Deus per Proph. ( Ezech. 13. v. 18. ) vivificabant animas , quæ non vivebant ; & mortificabant animas , quæ non moriebantur.

Sunt etiam plerique spirituales medici , qui medendi animarum vulnera habent scientiam ; sed aut amoris proprii , aut adulationis causa , errata eorum , qui sibi confessionem peccatorum suorū faciunt ,

faciunt ,

faciunt, saluberrima poenitentia rigore  
ferire refugiunt: De quibus rursus  
Dominus [ibid.] per Prophetam, va,  
inquit, his, qui consunt pulvillos sub  
omni cubitu manus; & faciunt cervicali<sup>su</sup>  
capite universe aetatis ad capiendas  
animas. Hunc locum Papa Greg. in libro  
pastorali ita exponit: Pulvillos quippe  
sub omni cubitu manus ponere, est cadentes  
sua rectitudine animas; atque in  
hujusmodi se delectatione reclinantes  
blanda adulatione refovere: Quasi enim  
pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput  
ponentis excipitur, cum correptionis  
duritia peccanti subtrahitur, eique mol-  
lities favoris adhibetur; ut in errore  
molliter jaceat, quem nulla asperitas  
contradictionis pulsat.

Hi autem, qui imperitos adultores,  
animarum suarum medicos querunt,  
vana securitate se ipsos decipiunt: Ad  
hoc nempe tales querere solent, ut in  
poenitendo penè NIHIL AFFLI-  
CTIONIS corpus eorum sentiat;  
prefer-

praesertim cum Papa Gregorius dicat : Caro levis nos traxit ad mortem ; AFFLICTA reducat ad vitam. Hæc Jonas Aurelianensis.

Qui verò sanctos Patres , Doctoribus hæctenus adductis antiquiores audierit , tinnient ambæ ejusdem aures ; verum eos in gratiam Protestantium , Catholicam de satisfactione & Purgatorio doctrinam gratis & inconsultè impugnantium , alibi adduco :

Hic enim cum Catholicis, quibus hæc sufficient ago.



*Hic addenda erant ea, quæ in fine erratorum sunt impressa.*



## ARTICVLVS II.

*DVODECIM REGVLÆ DE IN-  
IUNGENDA POENITENTIA, A  
SACRIS CONCILIIIS AC SYNODIS,  
MELIORIS QVE ÆVI & NOTÆ  
DOCTORIBVS TRADITÆ.*

**R**EG. I. *Falsas poenitentias dici-  
mus, quæ non secundum authori-  
tatem sanctorum Patrum pro qualitate  
criminum imponuntur. ita Concilium  
Romanum, añ. 1078. sub Gregorio  
VII. celebratum can. 5. Magister sent.  
l. 4. dist. 16. S. Raymundus l. 3. summæ.  
Tit. 34. S. Antoninus summæ Theol.  
p. 3. Tit. 17. c. 20. ante §. 1. & omnes  
antiqui.*

*Hoc verum est, inquit S. Bonav.  
Confessionalis sui cap. 3. particula 1.  
nisi ex causa, consideratis circumstan-  
tijs, poenitentia temperetur. Et cap. 4.  
partic. 1. Falsa, ait, poenitentia dicitur,  
si confitens ex contemptu, & sine ratio-  
nabili*

abili causa poenitentias secundum au-  
thoritatem Patrum taxatas subire no-  
luerit.

REG. II. Per falsas poenitentias animæ  
ad inferna trahuntur. ita **D.** Thomas  
Opusc. 65. Facilitas enim veniæ incen-  
tivum tribuit delinquendi : Et pravi  
habitus per congrua remedia non cu-  
rati rursus prorūpunt in pravos actus.  
Ne dicam, quòd poenitentiam conve-  
nientem non agens, gratiam, sibi ad  
standum & finaliter perseverandū ne-  
cessariam, acquirere negligat ; adeo-  
que facillimè tentationibus dæmonū  
in extremis rursus succumbat, & pere-  
at in æternum.

REG. III. Ne falsas poenitentias  
imponat sacerdos, sibi ob mentis oculos  
proponet Canones poenitentiales, qui  
lumen sibi & poenitenti quoque afferant;  
quò videant, quemadmodum pro pecca-  
ri ratione poenitentia & imponenda &  
suscipienda sit. ita S. CAROLUS  
BORROMÆUS, supra art. I. num. 4.  
citatus.

96 *Regula de poen. injungenda.*

citatus. Vide etiam *S. Bonaventuram* in Confessionali, cap. 3. partic. 1. *Hostiensem*, l. 5. Tit. de poenitentiis & remission. §. 60. *Summam Angelicam*, verbo, Confessio, *Comun.* 7. *Bartholomeum de Chaymis*, Interrogatorii, seu Confessionalis sui parte 4. cap. 1.

CATECHISMUS ROMANUS, de Poenit. Sacram. cap. 13. *in irroganda*, inquit, *satisfactionis poena*, sacerdotes **NIL** SIBI SUO ARBITRATU statuendū esse; sed omnia *justitiā, prudentiā, & pietate dirigenda existimabunt*: Atque ut hac regulā peccata metiri videantur, & poenitentes scelerum suorum gravitatem magis agnoscant, opera pretium erit, interdum eis significare, quae poena quibusdam delictis ex veterum Canonū praescripto, qui poenitentiales vocantur, constituta sint.

Et *S. CAROLUS BORROM.* loc. cit. *Patres* [id est nostri usque in seculum 16. praedecessores] docuerunt, quā **NECESSARIA** **ADMO-**  
**DUM**

**DUM** sit sacerdotibus Canonum poenitentialium scientia : Etenim, si omnia, quæ ad poenitendi modum pertinent, non prudentiâ solum ac pietate, sed justitiâ etiam metienda sunt ; Certè norma hæc è Canonibus poenitentialibus sumatur oportet : sunt namque ii quasi Regule quadam ; quibus, cum ad culpæ commissæ gravitatem rectè dignoscendam, tum ad imponendam pro illius ratione **VERAM POENITENTIAM**, sacerdotes Confessarij ita dirigantur, ut, ubi singula, & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad poenitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accuratè perpenderit ; tum demum poenitentiam iudicio ac prudentia sua moderentur.

Unde **CONCILIVM PROVINCIALE MEDIOLANENSE**, anno 1565. celebratum, Constitutionum parte 2. Tit. 6. Confessores, inquit, **Canones poenitentiales benè noverint.** Et  
 E aliud

98 *Regula de pœn. injungenda.*

aliud ibidem anno 1579. habitum ,  
Constitut. parte 3. §. 2. Tit. *de exami-*  
*nandiratione* , pro curâ examinandos  
interrogari mandat : *An Canones*  
*pœnitentiales rectè teneant ?*

CONCILIUM PROVINCIALE  
BITURICENSE (Bourges in Gallia)  
anno 1584. celebr. Tit. 21. cap. 8. *sacer-*  
*dotes Canones pœnitentiales discant , ut*  
*modum & rationem pœnitentiæ injun-*  
*genda meliùs intelligant.*

SYNODUS OSNABRUGEN-  
SIS , anno 1628. habita, cap. 17. §. 8.  
*Requiritur ( inter alia in sacerdote )*  
*scientia Canonum pœnitentialium.*

SYNODUS ARCHIDIOECE-  
SANA PRAGENSIS , anno 1605.  
celebrata , & anno 1650. ex mandato  
Archiepiscopi, recusa, Tit. de pœniten-  
tiâ : *Confessarii Canones pœnitentiales*  
*memoria mandent , ut singulis crimini-*  
*bus congruam satisfactionem injungere*  
*valeant.*

Et quidem juxta insignes illos, post  
seculi

seculi 13. mediū, Cardinales Episcopos,  
*S. Bonaventuram, & Hostiensem*, hīc  
 suprā citatos, *Vix nomen sacerdotis*  
*constabit in eo, qui Canones pœnitentiales*  
*ignorat.* Vel, ut Episcopus Civitatis,  
 in *Modo Confitendi* (quem ANDREAS  
 Episcopus Hispanus, S. Rom. Eccl.  
 Pœnitentiarius composuit) año 1508.  
 Argentinæ impresso relatus loquitur,  
*Talis vix merebitur dici sacerdos.*

Canones autem illi extant in com-  
 pluribus libris, qui adhuc seculo 15. &  
 sub initium 16. Confessoriorum omniū  
 manibus versabantur: ut in *Manipula*  
*Curatorum*, quem supra Cap. 2. art. 1. <sup>in</sup> tract. <sup>Sacerd.</sup>  
 num. 13. jam vidimus, in Episcopatu  
 Posnonsi [ in Poloniâ ] Parochis  
 omnibus & singulis fuisse sub irremis-  
 sibili poenâ præceptum, & in Germaniâ  
 usque ad tempestatem Lutheri com-  
 munissimo usu receptū item in *Pupillâ*  
*oculi* parte 5. cap. 13. in *summâ Astesani*  
 (aliàs *Astexani*) lib. 5. Tit. 32. in *summâ*  
*Angelicâ*, ab Angelo de Clavasio Ordinis

Minorum , aliquoties in Provinciis, secundum Italos, ultramontanis Commissario Generali ; nec non *Nuntio Apostolico Sixti 4.* post seculi 15. mediū conscriptā, verbo ; *Confessio 6.* num. 7. Qui etiam hæc verba subjungit : *Ad Regulas prædictas debet Cōfessor semper habere oculum.* Et *Bartholomæus de Chaymis*, Ordinis quoque Minorum, in *Confessionali* suo , quod anno 1480. typis *Mediolanensibus* evulgavit, parte 4. cap. 1. dictis sæpe Canonibus ita præfatur *ideo eos, ut maturius procedatur, & ne alicui ignorantia sit occasio delinquendi, hic inserere volui.* Subjuncti sunt etiam *Modo Confitendi*, anno 1508. *Argentorati* impresso ; ubi *Episcopus Civitatenfis*, eorū *Collector* dicit ; quòd unusquisque sacerdos curatus teneatur eosdem sub peccato mortali scire. Sunt denique anno 1516. *Lipsiæ*, Curante *Mathiâ VVeismann*, Professore *Lipsiensi*, seorsim impressi : Qui etiam in *Titulo* dicit ; quòd eorum  
*notitia*

notitia viris Ecclesiasticis non minus utilis, quam necessaria sit. Et in Dedicacione ait, se per eorundem editionem humana dementia succurrendum putasse; ut ex illis delictorum suorum poenam, & criminum gravitatem facilius cuncti peccatores cognoscant.

Notandum tamen, quod GUILLERMUS Episc. Paris. de Sacram. Poenit. cap. 55. dicit: *Nec dubitandum est, Confessores sequi debere Canones poenitentiales; QUATENUS & fragilitatem nostrorum temporum & qualitati poenitentium congruit.* Et S. CAROLUS BORROM. loco citato: *Eorum Canonum tamen poenitentias, ut tempora ferent, pro charitate & prudentia sua minuet [sacerdos] prout peccati & peccatoris circumstantia requirent: in quibus etiam rationem habebit Contritionis ejus, qui peccavit.* Canones enim, secundum omnes, instruunt in generali, qualiter poenitentia sit imponenda; sed descensum ad singularia



presbyteris discretis relinquunt : Et hoc sensu pœnitentiæ sunt arbitrariæ.

REG. IV. Juxta antiquos Ecclesiæ Canones pro quolibet peccato mortali septennis esset regulariter pœnitentia injungenda. ita synodus Nemausi in Galliâ, circa annum 1248. celebrata. Magister sententiarum, D. Thomas, S. Bonav. S. Raymundus de Pennafort, S. Antonillus, Scotus, & alii omnes.

Essetque in unaquaque septenni illius hebdomadâ, juxta Pœnitentiale Rom. & omnes alios, feriâ 2. 4. & 6. idest, diebus Lunæ, Merc. & Ven. jejunandum in pane & aquâ: Qui quidem dies *feriæ legitime* vocari solent.

Pro quibusdam tamen peccatis minor, & pro aliquibus etiâ major pœnitentia per sacros Canones est constituta: Ex quibus hic ponam aliquos, quorum notitia cuilibet pro ordinariâ praxi sufficiens lumen præbebit.

§. I.

EXTRACTVS CANONVM POENI-  
TENTIALIVM E CORPORE  
IVRIS CANONICI DESVMP-  
TORVM.

**P**rimus. Quod si presbyter fornicationem fecerit, poeniten<sup>tiam</sup> 10. annorū faciat, hoc modo: Tribus primis mensibus quotidie, exceptis diebus Dominicis & festis, jejunet in pane & aqua; sacco indutus & humi prostratus misericordiam Dei jugiter implorans. Postea resumptis aliquantulum viribus, unum annum & dimidium, exceptis, Dominicis & festis, expleat in pane & aqua. Hoc expleto, particeps sit Corporis Domini. Deinde usque ad completionem septimi anni, singulis septimanis, excepto tempore Paschali, tres legitimas ferias in pane & aqua jejunet. Tribus vero annis sequentibus, i. e. octavo, 9. & 10. sine ulla redemptione, omni sexta feria in pane & aqua jejunet.

E 4

Quam-

Quamvis autem hic Canon agat de fornicatione casu vulgata; tamen, cum ferè totus pœnitendi modus ordinetur ad placandam Dei offensam, & penè omnia privatim, nemine conscio, sint agenda; manifestum est, ad eandem Dei offensam pro fornicatione occultâ perfectè placandam, *ordinariè* pœnitentiam ferè æqualem requiri; præsertim cum in casu fornicationis publicatæ *insuper* ordinet hic canon, ut presbyter etiam 3. mensibus includatur; & ante completum biennium non prodeat in publicum; nec citiùs ad chorum pacem, & S. Communionem recipiatur; utque ad completum usque septennium stet ultimo loco in choro, & interim ad cornu Altaris non accedat; sed minorum Ordinum tantùm officia gerat. Quæ quidem pœnæ in causâ fornicationis occultæ non infliguntur; adeoque pro eadem saltem agenda esset pœnitentia æqualis illi, quæ pro fornicatione publicatâ in occulto faciendâ præscribitur. Patet

Patet id 1. ex Pœnitentiali Romano,  
ab Halitgario, ante seculi 9. medium  
Episcopo Cameracensi & Atrebatensi,  
de scrinio Ecclesiæ Romanæ sumpto, l.  
6. cap. 2. ubi statuitur, quòd clericus  
minorum ordinum cum uxore vel  
sponsâ alterius congressus, si filium  
genuerit, 7. annos pœniteat. *Si verò  
filium NON genuerit, ET IN NOTI-  
TIAM HOMINUM NON VE-  
NERIT, 3. annos poeniteat; unum ex  
his in pane & aqua. Diaconus aut  
Monachus 7. annos poeniteat; tres ex his  
in pane & aqua. Sacerdos decem. Episco-  
pus 12. quinque in pane & aqua.*

Idem patet 2. ex iis, quæ hic supra  
art. 1. num. 13. ex *Tractatu sacerdotali*  
sunt allegata, quæque infra §. 4. & 5. de  
occultissimo mollitiei & adultery pec-  
cato dicentur. Et tertio denique hoc  
ipsum ex Canone sequenti est mani-  
festum; qui quidem Canon est talis:

Secundus. *Si presbyter cognovit  
filiam suam spiritualem; debet poeniten-*

*riam agere 12. annis ; & etiam debet deponi, si (NB.) crimen sit manifestum; & peregrinando 15. annis poenitere. Duodennis igitur poenitentia in hoc casu statuta est pro crimine occulto.*

*Sextus. Qui cognoverit Monialem, sive devotam; decem annis poeniteat; & similiter ipsa.*

*Septimus. Qui ignoranter cognoscit duas sorores; vel matrem & filiam; vel amitam & neptem; poeniteat 7. annos; si autem scienter; perpetuo. Vide infra S. Carolum Borrom. ad 6. præceptum.*

*15. Homicida casualis poeniteat 5. annis; & hoc secundum Raymundum, si culpa casum præcessit; aliter non; nisi forte ad cautelam.*

*17. Qui dormiens suffocaverit infantem secum jacentem; poeniteat 3. annis; si culpa, quæ præcessit casum, sit levis; ut si posuit puerum in eodem lecto, longè tamen à se: si autem culpa sit gravis; ut si posuit puerum in medio utriusque; 5. vel 7. annis poeniteat.*

*20. Per-*

20. Perjurus 40. diebus in pane & aqua jejuna, & 7. annis sequentibus poeniteat; similiter & conscius.

24. Qui mensurat in falsa mensura; [præter compensationem] 30. diebus in pane & aqua jejuna.

35. Sortilegus 40. diebus poeniteat.

44. Qui pacem cum proximo suo non facere jurat; uno anno poeniteat, & ad pacem redeat.

45. Pro perjurio, adulterio, homicidio dantur pro poenitentia regulariter 7. anni; & similiter pro fornicatione; licet non ita aspera.

§. II.

EXTRACTUS CANONUM  
POENITENTIALIUM A S.  
CAROLO BORROMÆO ex  
Pœnitentiali Rom. Theodoro Ar-  
chiep. Cantuar. Burchardo Epif-  
copo Wormatiensi, & aliis collecto-  
rum; qui in ejusdem Sacramentario  
Ambrosiano octo magnas in folio

paginas implent. Vide *Acta Ecclesie Mediolanensis*, Parisiis a<sup>n</sup>. 1645. impressa, à pag. 408. ad 415. inclusivè.

Ad 1. Decalogi præceptum. *Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit; poenitentiam aget dies 20.*

*Si quis in codicibus aut in tabulis sorte ducta res futuras requisiverit; poenitens erit dies 40.*

Ad 2. Præceptum. *Si quis per capillum Dei aut caput eius iuraverit; si semel nesciens fecerit; poenitens aqua & pane 7. dies victitet. Si secundo ac tertio, monitus idem fecerit; dies 15. Si per coelum aut per aliam aliquam creaturam; dies item 15.*

At 3. præceptum. *Qui opus aliquod servile die Dominico festove fecerit; poenitentiam aget 3. dies in pane & aqua. Qui quidem canon utique de opere servili exiguo, & sequens de majori est intelligendus.*

*Qui die Dominica opus terrenum fecerit;*

rit; qui navigavit, aut equitavit; dies 7.  
poenitentiam ager.

Si quis pransus Missæ interfuerit;  
poenitens erit dies 3. in pane & aqua.

Si quis in Ecclesia confabuletur, cum  
Divina fiunt; poenitens erit 10. dies in  
pane & aqua.

Si quis ieiunium 4. temporum non  
custodierit; poenitens erit dies 40. in  
pane & aqua.

Notent hoc. qui dum horas canoni-  
cas, statuta Ecclesiæ jejunia & similia  
negligunt; vel infra semetipsos, vel etiã  
apud alios per summam stultitiam di-  
cunt: Das ist leichter gebeichtet / als  
gethan; sive, facilius est horum non  
observantiam confiteri, quàm obser-  
vantiam præstare: Nam (ut hic art. 1.  
num. 1. est visum) præter Confessionem  
requiritur etiam satisfactio, qua sit ad  
novæ vitæ custodiam, præteritorumque  
vindictam & castigationem: Ad quæ  
profectò in hoc casu nihil faciunt 5.  
Pater noster & Ave Maria; Nec debet



esse minus, sed plus incommodi in castigatione, quam fuit commodi in delicto; ut hoc illius metu vitetur. Si in correctione minor est afflictio, quam in culpâ fuit delectatio; non est dignus poenitentia tua fructus, inquit Hugo de S. Victore l. 2. de Sacramentis, parte 14 cap. 2.

Ad 4. præceptum. Qui parentibus maledixerit; 40. dies poenitens sit in pane & aquâ.

Qui parentes injuriâ affecerit; 3. annos. Qui percusserit; annos 7.

Si quis presbyteri, parochie sui præcepta irriserit; poenitens erit dies 40. in pane & aqua.

Ad 5. præceptum. Si quis ielû proximo suo dederit, nec nocuerit; tridui poenitentiam aget in pane & aqua. Clericus, unius anni & mensium 6.

Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur; 3. annos poeniteat, unum in pane & aqua.

Cujus filius sine Confirmationis Sacramento

cramento moritur; parentes, quorum negligentia id factum est, pœnitentiam agent annos 3.

Si quis explende causa libidinis, vel odij meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini aut mulieri aliquid secarit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare aut concipere; homicida teneatur.

( Canon 7. inter Anglicanos, infra §. 4. laudandos: Qui alterum voluerat occidisse, & implere nequiverat desiderium; annos 3 jejunet; unum scilicet pane & aqua; eorumque duos, prout Confessarius suus ipsi imposuerit.)

Ad 6 præceptum. Si laicus solutus cum foemina soluta concubuerit; pœnitens erit annos 3. Et quanto sapius, tanto majori pœnitentia afficietur.

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit (ita tamen, ut generatio fieri potuerit) pœnitens erit 40. dies. ( Apud Reginonem l. 2. de Disciplina Eccl. cap. 248. pro hoc eodem casu, per alium  
termi-

terminum proposito, statuitur eadem pœnitentia; pro sodomitico autem scelere cum uxore exercito pœnitentia 3. annorum.)

*Qui concupierit virginem, quam postea uxorem duxerit, pœnitentiam ager annum unum per legitimas ferias; si verò non duxerit; annos 2. per legitimas ferias.*

*Cum duabus sororibus fornicatus; pœnitentiam ager toto sua vite tempore.*

*Ad 7. præceptum. Clericus furtum capitale faciens; septennij pœnitentiam explebit; laicus quinquennij; & quod furatus est, reddat.*

*Si quis per necessitatem cibum vel vestem furatus sit; in pœnitentia erit hebdomadas 3. si reddiderit, jejunare non cogitur.*

*Qui fregerit noctu alicujus domum, aut aliquid auferet; pretium reddet, & pœnitentiam ager annum unum in pane & aqua: si [ per impotentiam ] non reddit,*

reddit, annos duos. Dixi: per impotentiam; quia eadem non excufante, secundum omnes, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; quantuncunque poenitentia agatur. Quâ de re vide summulam Raymundi, p. 98. & 99.

*Si quis furtum de re minori semel annis fecerit; restituta re, poenitentiam aget annum unum.*

*Qui rem inventam non reddit, furtum committit; idcirco tanquam de furto poenitentiam aget.*

*Si quis usuras accipit, rapinam facit; ideoque quicumque illam exegerit; poenitentiam aget annis 3. uno in pane & aqua.*

Ad 8. præceptum. *Qui affirmavit verum, quod falsum est; poenitentiam aget ut adulter, ut homicida; qui sponte id facinus admisit. Burch. l. 19. Tit. de fals. Test. Poenit. Rom. Tit. 2. c. 13.*

*Qui proximo falsum crimen obicit; poenitentia afficitur, ut falsus testis.*

*Qui*

Qui proximo peccatum imputarit, priusquam seorsum eum arguerit; primum illi satisfaciens, poenitentiamaget 3. dies.

Ad 9. præceptum. Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque; poenitens erit annis 3.

Ad 10. præceptum. Si quis concupiscit fornicari; si Episcopus, poenitens erit annos 7. si Presbyter, 5. si Diaconus vel Monachus, 3. è quibus unum in pane & aqua, Si Clericus aut Laicus, annos 2.

Si quis in somnis ex immundo desiderio polluitur; surgat, & cantet (i. e. devotè legat) 7. psalmos poenitentiales, & dies 30. poeniteat. Scil. clericus majorum ordinum.

Si Clericus [minorum ordinum] aut laicus ex mala cogitatione concupiscentiaque (absque contrectatione, vel agitatione partium venerarum) semen effuderit, poenitens erit dies 7.

Tit. de gulâ & ebrietate. Sacerdos imprudenter ebrius factus, pane & aqua

Cap. 2. Art. 2. Reg. 4. 115

aqua poenitentiam agat dies 7. si negligenter, dies 15. si per contemptum, dies 40.

Qui humanitatis causa alium inebriare cogit, poenitentiam agat dies 7. si per contemptum, dies 30.

Qui præbrietate aut crapula vomitum fecerit, si Presbyter aut Diaconus, poenitentiam agat dies 40. si Monachus aut Clericus, dies 30. si Laicus, dies 15. Burch. l. 14. c. 13.

Quæ §. I. adductis conveniunt, hic nolui repetere; uti nec §. sequenti ea, quæ vel hoc vel præcedenti §. sunt allata.

§. III.

EXTRACTUS CANONUM POENITENTIALIUM, A REGINONE, añ. 892. in Abbatem Monasterii prummiensis in dioecesi Trevir. electo; viro sui seculi facile doctissimo & piissimo, circa annum 906. collectorum; quo ad ea, quæ  
in

in prioribus vel omnino non , vel  
minùs clarè tanguntur.

Lib. 1. de Discipl. Ecclesiast. cap. 299.  
*Si nesciens pejerasti , annum unum , &  
3. quadragesimas poenitere debes. Scil.  
primam ante Natalem Domini 2. ante  
Pascha. & 3. circa festum S Joannis  
Baptistæ, ut habet Pœnitentiale Rom.  
cap. 24.*

*Dixisti falsum testimonium NES-  
CIENS, annum unum poeniteas.*

*Nupsisti ( i. e. coivisti cū uxore tua )  
die Dominico , 3. dies poenitere debes.*

*Odisti fratrem tuum , quamdiu in  
ipso odio fuisti , tam diu poeniteas in  
pane & aqua.*

*Contigit tibi aliqua negligentia de  
sacrificio Domini , dies quadraginta  
poeniteas.*

*Contempsisti indictum jejunium in  
Ecclesia , vel decreta seniorum , 40.  
dies.*

Lib. 2. Cap. 133. *Ancilla [ à Domi-  
no suo ] vim passa , 40. dies : si consen-  
tiens*

tiens fuit, tres in anno Quadragesimas,  
& legitimas ferias poeniteat.

L. 2. c. 247. Pueri se manibus invicem  
coinquantes, 40. dies poeniteant:  
Majores verò centum dies . . . . Puer vo-  
luntariè se polluens, 30. dies; Juvenis  
verò 40. dies poeniteat.

L. 2. c. 250. Qui per illecebrosos am-  
plexus foemina, vel per osculum pollui-  
tur, 30. dies poeniteat.

Ib. Qui tetigerit inverecundè car-  
nem foemina, 3. menses poeniteat.

Ibid. Presbyter, si osculatus fuerit  
foeminam per immundum ( sensualita-  
tis ex ipso osculo, & non aliter cap-  
tandæ ) desiderium, viginti dies poeni-  
teat: Pro desiderio fornicandi verò  
5. annos, ut supra ad 10. præceptum  
jam vidimus, poenitere debet sacer-  
dos.

Laicus secularis pro illecebroso of-  
culo, sine coinquatione facto, juxta  
Pœnitentiale Cumeani debet 7. dies  
poenitere in pane & aquâ.



## §. IIII.

DE POENITENTIA PRO OCCULTISSIMO MOLLITIEI PECCATO IMPONENDA ; EX QUA DE ALIIS PECCATIS CARNALIBUS OCCULTIS JUDICIUM POTEST FORMARI.

Mollities, juxta B. Petrum Damiani, est primus sceleris sodomitici gradus ; & adeo contra naturam , ut à nullâ unquam bestiâ sit perpetrata : *Nimirum hoc perditii homines perpetrare non metuunt, inquit idem, quod ipsa quoque bruta animalia perhorrescunt: Quod ab humana pravitatis temeritate committitur, irrationabilium pecorum iudicio condemnatur.* Et Martialis, quanquam Gentilis ac valde impurus Poëta, de hoc tamen scelere lib. 9. ante medium, Epigrammate in Ponticum ita scribit :  
*Hoc nihil esse putas ? scelus est , mihi crede ; sed ingens ;*

*Quan.*

*Quantum vix animo concipis ipse  
tuo.*

*Ipsam crede tibi Naturam dicere ve-  
rum:*

*Istud, quod digitis, Pontice perdis,  
homo est.*

Levissima verò omnium à veteribus  
pro hoc eodem scelere statutarū pœ-  
nitentia est, quam ex Pœnitentiali  
Rom. tit. 3 cap. 15. nec non ex Bur-  
chardo, l. 17. c. 27. affert. S. Carolus  
Borrom. ad 6. Præceptum. Nimirum:  
*Vir se inquinans primo, poeniteat dies  
10. si iterum, dies 20. si tertio, dies 30.  
sique nefariè agere pergat, poenitentia ei  
accessio fiet. Si puer [ nefariè agere per-  
gat ] dies 40. si maior 15. annis, dies  
centum.*

VENERABILIS BEDA, l. de  
Remediis peccatorum, Tit. 2. *Puer se  
ipsum voluntariè polluens, 30 dies poe-  
niteat; invenis 40. ita & Regino, hic §.  
3. allatus.*

POENITENTIALE GALLI-  
CANUM,

CANUM, ante annos mille conscriptum, à Mabillonio repertum, & Tom. I. Musei Italici, in fine Sacramentarii Gallicani anno 1687. editum Can. 14. *Si quis propter concupiscentiam vel libidinem se ipsum fornicaverit; annum unum poeniteat.*

CUMEANUS, circa annum 630. Abbas Hiensis, in Confinibus scotiæ & Hiberniæ, lib. *de Mensura poenitentiarum* [ non ab ipso, sed à Patribus definita ] Cap. I. *Vir se ipsum coinquinans, in primo centum dies poeniteat; & iterans, annum unum. SI CUM GRADU EST, ADDATUR POENITENTIA. Puer 15 annorum, 40. dies.*

CANONES ANGLICANI, circa annum 969. sub Edgardo, omnium Britanniæ Regum sapientissimo, fortissimo ac potentissimo dati, atque ab eodem subditis commendati, Tit. *Modus imponendi poenitentiam*, Can. 38. *Si quis propria sua voluntate se ipsum polluat,*

polluat, ieiunet 3. annos ; & in eorum  
quolibet 40. dies in pane & aqua ; &  
abstineat à carne in unaquaque [ illius  
triennii die ] excepta die solis.

Ex Græcis JOANNES NEUSTE-  
TES, sive jejunator, ab anno. ad 585.  
ad 596. Patriarcha Constantinop. in  
Canonario vel Pœnitentiali suo : Qui  
mollitiem commisit ; 40. dies plectitur,  
siccis vescens, & qualibet die poeniten-  
tias centum peragens ; id est, se se quoti-  
die centies in terram posternens, &  
simul Pœnitentiali quadam oratiuncu-  
lâ ad Dominum ingemiscens. Canona-  
rium verò istud Neustetes ita conclu-  
dit : *Hæ sunt definitiones epitimiorum,*  
*levissimorum quidem, & nimia relaxa-*  
*tione facillimorum à me traditorum.* Im-  
mò idem Neustetes à compluribus  
Græcis, quasi ob nimiam epitimo-  
rum, id est, pœnarum vel pœnitentia-  
rum lenitatem fuit malè notatus.

Præscribit quidem ille pro fornica-  
tione duos ; & pro adulterio tres pœni-  
tentia

F

tentia

tentiæ annos ; Verùm sub hac ratione, ut tam fornicator , quàm adulter **QUOTIDIE** usque ad vesperam ieiunet, ac non nisi siccis vescatur; & insuper quotidie poenitentias ducentas quinquaginta [ modo jam statim exposito ] peragat : ubi eundem satis prudenter arbitratum fuisse crediderim ; uti & in casu mollitiei ; saltem pro primâ , secundâ, aut tertiâ vice.

Rursum **CUMEANUS** loco cit : *Qui turpiloquio vel aspectu coinquinatus est , tamen non voluit fornicari corporaliter ; 20. vel 40. dies poeniteat. Si autem impugnatione cogitationis violenter coinquinatus est ; 7. dies poeniteat.*

Et **VEN. BEDA** loco cit. *Qui in turpiloquio polluitur negligens , 7. dies poeniteat. Qui impugnatione cogitationis & natura inquinatur nolens , per 4. dies 50. psalmos canat (i.e. devotè legat) & 4. & 6. feriâ jejundet ad Nonam [ i.e. ad Tertiam pomeridianam ] vel ad vespe-*

*vesperam*. Vide etiam hîc supra collectionem S. Caroli Borrom. ad 10. præceptum. Negligentiam verò hîc à Ven. Bedâ minorem, & majorem apud *Cumeanum* supponi credo.

§. V.

Ex his verò de aliis peccatis carnalibus *occultis* judiciû potest formari: Quâvis enim mollities ex suâ specie sit gravior omni peccato, quod cû quâcunque foeminâ modo naturali cõmittitur, ut apud *Sinnichium* in Saul Ex rege lib. 1. cap. 113. §. 430. *Geswaldam de Bononijs*, de 6. præcepto. Tract. 12. cap. 1. qu. 9. num. 37. & *D. Thomam* 2. 2. qu. 154. art. 13. licet videre; alia tamen peccata carnalia propter circumstantias; tum scâdali, per quod etiam complex pertrahitur in gehennam; tum nocumentorum, quæ eadem, quantum in ipsis est, inferunt Ecclesiæ, Reipublicæ, legitimis hæredibus, ipsisque proli-

bus illegitimis [ nequid de violatio-  
ne voti, fideique ac Sacramenti, in  
casu sacrilegii & adulterii dicam ]  
sunt graviora.

Sanè, quoad adulterium occultum,  
S. BONIFACIUS, Germanorum  
Apostolus, & Archiepisc. Mogunt,  
anno 741. ( ut Chronicon Magdeb.  
manuscriptum ac pervetustum testa-  
tur) *generalem* ( Germanorum & Gal-  
lorum) *Synodum Moguntia adunavit,*  
*& Canonum instituta RENOVAVIT.*  
Quos inter Canones hic quoque fuit:  
*Mulier habens virum, si adulterium*  
*perpetraverit, & OCCULTE ad*  
*confessionem venerit; 7. annis pœniteat.*  
ita testatur Isaac Episcopus Lingonen-  
sis, in collectione canonum illorum,  
Tit. 3. cap. 9.

Circa quem casum *Joannes de Bur-*  
*go*, universitatis Cantabrigiensis in  
Angliâ Cancellarius, in *Pupillâ oculi,*  
anno 1395. conscriptâ, Cap. xi. docet,  
quòd sacerdos non debeat maritalæ,  
propter

propter adulterium injungere poenitentiam, per quam marito possit reddi suspecta; sed assiduam compunctionem cordis; & ut non exigat debitum tempore poenitentiae, quatenus sua permiserit fragilitas; & ubi habuerit opportunitatem, genua nudata flectat, pectus tundat, & frequenter instet orationibus, &c.

SUMMULA quoque de summâ S. RAYMUNDI extracta, ac Coloniae anno 1498. 1500. 1506. & 1508. impressa, de hujusmodi muliere tractans, sic canit:

*Talis adulterium si fecit non manifestum,*

*Ne suspecta viro sit, non luat hoc manifestè.*

**HUJUS POST MORTEM** *luat illud sufficienter.*

*Matronæ juvenes possunt explere*  
**CARENAS.** [a]

*In domibus proprijs, licet hæ non egrediantur.*



126 *Regula de poenitentia injung.*

*Jejunent, orent, jaceant in stramine,  
nudis*

*Incedant pedibus, & vadant cili-  
ciata.*

*Præterea plures sunt emendando la-  
bores.*

*Illis utantur, &c.*

[a] idest tres Quadragesimas quolibet  
anno jejunandas in pane & aqua.

Si verò talia pro adulterio occulto  
à fragili requiruntur matronâ ; an pro  
concubitu sacrilego, pariter occulto,  
leviora injungenda sunt viro, qui om-  
nipotenti Deo castitatem solemniter  
vovit? quique propter purissima, quæ  
tractat, Dei mysteria, deberet omni  
solis radio purior esse?

Denique inter Canones Anglica-  
nos, §. 4. laudatos, Canon 37. *Si quis,*  
*inquit, cum bestiâ coeat, jejunet 15.*  
*annos; scilicet 8. in pane & aquâ; & in 7.*  
*reliquis tres quadragesimas quolibet an-*  
*no. Diebus autem Mercurii & Veneris*  
*usque dum vixerit; & defleat semper*  
*iniqui-*

*iniquitatem illam.* Hic verò manifestum est agi de bestialitate occultâ: manifesta enim nullibi ultrices flammæ, nisi per fugam & latitationem vel olim evasit, vel etiamnum evadet. Huic autem ferme similis pœnitentia pro sodomia perfectâ, & coitu cum propria vel matre vel sorore est peragenda.

Judicavit nimirum sancta Dei Ecclesia & antiquitas veneranda, a deo execrandum esse peccatum mortale, ut pro eodem Deus ordinariè non nisi per pœnitentiam septem annorum plenè ac planè placari possit; scilicet ab iis, qui pœnitent quidem, sed sine extraordinario quodam fervore. Quando autem pœnitentia interior est vehemens & intensa; tunc eadem, quemadmodum pœnitentiam quoque exteriori peccatis suis convenientem agit, vel saltem agere proponit aut desideraret; ita etiam Deum, pro diversitate graduum intensificationis, multò citius; imò & citissimè ex toto placare potest;

128 *Regula de pœnitentia injung.*

ut cap. *Si Presbyter* 26. qu. 6. ex JULIO  
Papâ & Cap. in *Actione*, de Pœnitentiâ,  
distinc. 1. ex S. Augustino docetur.  
*Quia Dominus non solum temporis, sed  
etiam cordis inspector est* [inquit JU-  
LIUS à Gratiano allegatus] *sicut latro  
vnius momenti pœnitentiâ meruit esse in  
paradiso.* Et S. AUGUST. in *Enchri-  
dio*, cap. 65. in *Actione pœnitentiæ non  
tam consideranda est mensura temporis,  
quàm doloris.* Unde & in causâ crimi-  
num occultorum Ecclesia pœnitentiæ  
tempora & modos semper commisit  
circumspecto sacerdotis arbitrio. *Hec  
de remediis peccatorum ex priorû mo-  
numentis excerpsumus*, inquit REGI-  
NO, lib. 1. cap. 299. *Solenter admonentes  
doctum quemque sacerdotem Christi, ut  
in universis, quæ hic annotata repererit,  
sexum, ætatem, conditionem, statum,  
personam, intellectum; ipsum denique  
cor pœnitentis curiosè discernat; & se-  
cundùm hæc, ut sibi visum fuerit, singula  
quæque dijudicet.* Et Canones Angli-  
cani,

cani, hic supra laudati, tit. *De satisfactione*, num. 9. *De operibus cuiusque potest Confessarius secundum canones inquirere, & moderari juxta vires & facultates confitentium; prout sentiet cordis unius cuiusque compunctionem & SOLLICITUDINEM.* Optimè profectò: solæ etenim lachrymæ, quantumcunque uberes, non modò Confessarium, sed ipsum quoque pœnitentem pœfæpè fallunt. Unde juxta modum sollicitudinis, quâ quis Deum placare fatagit, de intensione vel remissione Contritionis est judicandum: Quippe quæ, juxta Catechismum Rom. cap. 1. art. 5. num. 2. citatum, *maximè versatur in eo; quâ ratione contumelias Deo factas per congrua humiliationis officia compensare velit ac valeat.*

Illud verò sollicitè est observandũ quòd pœnitentia interior debeat semper usque ad finem vitæ durare; ut D. Thomas 3. p. qu. 84. art. 8. & 9. S. Bonavent. Confessionalis sui cap. 4. partic.

3. & Catechismus Rom. de Pœnit. Sac. cap. 13. aliique innumeri docent, & Canones Anglicani, hic §. 4. laudati, multoties monent: Quorum quidem Canonum sextus, Titulo, *Modus imponendi pœnitentiã*, sic habet: *Si laicus laicum sine causã occiderit; pane & aqua 7. jejunet annos; & eorundem quatuor, pro ut Confessarius suus instituerit: Emensa verò septennali illa pœnitentia, scelus tamen SEMPER LUGEAT OMNI, QUA POTERIT, INDUSTRIA; propterea, quòd incognitum est hominibus, qualiter APUD DEUM valuit ejus pœnitentia.* Canon quoque 17. *Quisquis, ait, conjugium fregerit, sive uxor, sive maritus; tres dies in qualibet hebdomada in pane & aqua per septennium jejunato.* Et Canon. 20. *Lugeant autem [tam adultera, quàm adulter] transgressiones suas QUOAD MORTEM.*

Notent hæc, qui paulò post confessionem peccatorum, etiam adulterio  
gravio-

graviorum, ineptissime ridendo ac nugando dictitare solent, se se ea boni cuiusdam sacerdotis aut Monachi vel humeris imposuisse, vel intrusisse cucullo; qui viderint, quomodo & quo eadem portent.

*Quamvis poenitentia [quo ad modum] sint arbitraria, inquit S. Bonaventura in Confessionali suo, cap. partic. I. semper tamē pro quolibet mortali septennis poenitentia est imponenda.*

S. VINCENTIUS FERRERIUS, Domin. 15. post Trinit. serm. 2. *Qualitas, inquit, poenitentiae in peccatis mortalibus minoribus, est in arbitrio Confessoris; scilicet, quod (poenitens) ieiunet semel in hebdomada, vel in mense: si verò peccatum mortale sit maius, ut homicidium, periurium, &c. & qualitas poenitentiae erit maior; sed quantitas temporis (utrobique) erit 7. ann<sup>or</sup>um (videlicet; si Contritio non sit intensa; quia secundum Doctores in Quartum commentantes, consideratâ quantitate*

F 6                      inten-

132 *Regula de pœn. injungenda.*  
intensionis illius, pœnitentiæ sunt  
arbitraria utroque modo: Quibus &  
S. Vincentius consentiens, post pauca  
subdit: ) Quoties iurasti in vanum, vel  
false; computa 7. annos de pœnitentia  
pro qualibet vice. Item; quoties fregisti  
festa de quolibet opere servili; item non  
audiendo Missam; numerapro qualibet  
vice 7. annos. Item, ¶ quoties despexisti  
parentes CORDE (Nota hic peccatum  
planè occultum) vel opere; nume-  
ra pro qualibet vice 7. annos &c. Fortè  
est aliquis ex suis peccatis obligatus in-  
centum mille annis de pœnitentia. ô, dices  
tu: si Confessor non dedit tantam pœni-  
tentiam? ) verum est; sed iam est taxata  
[ à sanctis Patribus, Dei voluntatem  
scientibus) si dicas: ego non vivam tan-  
tum; verum est; ideo complebitur in pur-  
gatorio. ô, dices: Purgatorium non  
durabit tantum. Solutio; propter  
hoc congregabit Deus poenam centum  
vel mille annorum totam in una die.  
O quis poterit sustinere! &c. Vido  
quoque

Quoque eundem Dom. 2. post octavas  
Paschæ, ferm. 1. §. *Quantum ad quar-*  
*tum.*

Benevolus verò Lector meminerit,  
Concilium quoque Trident. sess. 14.  
cap. 2. docere, quòd ad plenam peccato-  
rum omnium remissionem per Sacra-  
mentum Poenitentia, sine nostris magnis  
fletibus & laboribus pervenire nequa-  
quam possimus.

REG. V. SACERDOS CURET,  
QUANTUM FIERI POTEST, UT  
CONTRARIAS PECCATIS  
POENITENTIAS INJUNGAT;  
*veluti avaris elemosynas; libidinosis ie-*  
*iunia, vel alias carnis afflictiones, &c.*  
*ita Rituale Romanum. Tit. ordo mini-*  
*strandì Sacramentum Poenit. Catechis-*  
*mus Rom. de Pœnit. Sacram. cap. 10. Sy-*  
*nodus Colon. circa annum Dom. 1230.*  
*celebrata, Tit. 8. Synodus Nemausen-*  
*sis in Galliâ circa annum 1284. Tit. de*  
*Pœnit. synodus Exoniensis in Anglia*  
*anno 1287. in summa sacerdotibus ad*



134 *Regula de poenit. iniungenda.*  
*observandum imposita*, Concilium  
Provinciale Nimociense in Cypro, año  
1298. cap. 4. Concilium Prov. Mogun-  
tinum, anno 1549. cap. 3. Synodus Of-  
nabrug. anno 1628. cap. 17. §. 8. *Pro pec-*  
*cato, inquit, luxurie* ( sacerdos injun-  
gat ) *ieiunium & continentiam* ; *pro*  
*avaritia largitatem* ; *pro furto, primò*  
*restitutionem, deinde opera misericor-*  
*diæ.*

JOANNES DE BURGO Can-  
cellar. Cantabrig. *in Pupilla oculi, cap.*  
*XI. Contra avaritiam* ( *injungatur* )  
*aliena reddere, & sua largiri. Contra*  
*acediam* ( *injungenda sunt* ) *opera la-*  
*boriosa bona* ; *ut sunt peregrinationes ad*  
*loca sancta* ; *laborare pro pauperibus, &*  
*pro miserabilibus personis, & similia.*  
*Contra luxuriam opera carnis afflicti-*  
*va; ut ieiunia, vigilia, disciplina, cilici-*  
*um, lectus durus. Gulosis injungatur, ut*  
*ieiunent in pane & aqua* ; **ET UT**  
**TANTUM CIBI ET POTUS**  
**DENT PAUPERIBUS, QUAN-**  
**TUM**

TUM SUMPSE-  
RINT ULTRA  
MODUM. Vide & Scotum in 4. dist.  
15. qu. 1. art. 3.

REG. VI. *Si aliquis dignitatem ha-*  
*bens; ut Prælati: vel scientiam; ut; Cleri-*  
*cus: vel Ordinem; ut subdiaconus, Dia-*  
*conus, & sacerdos: vel votum; ut Religio-*  
*sus: vel ætatem; ut senex ( cum sit venus*  
*in sine ridiculosa) peccatum perpetra-*  
*verit ; TUNC EST MAJOR ET*  
*GRAVIOR POENITENTIA IN-*  
*JUNGENDA. Ita Concilium Pro-*  
*vinc. Ni nociense, anno 1298. celebra-*  
*tum, cap. 4.*

CONCILIUM ANGLIC. hic  
Regulâ 4. citatum, tit. de Confessione,  
num. 3. *Quanto quis potentior est, &*  
*majoris dignitatis , tanto gravius pro*  
*peccato CORAM DEO & hominibus*  
*corrigendus est.*

S. JOAN. CHRYSOST. lib. 6. de  
sacerdotio, post medium : ostendere  
volens Deus hominum peccata longè  
majori supplicio expiari, dum à sacer-  
dotibus,

dotibus, quàm à privatis fiunt; mandat  
 Levit. 4. ut tantundem à sacerdotibus,  
 quantum pro universo populo sacrificiū  
 offeratur: Quod quidem quid aliud  
 signat? quàm sacerdotis vulnera majo-  
 ri medicamento atque auxilio indigere;  
 atque adeò tanto, quanto conjuncta  
 simul universi populi vulnera indigent.  
 Porro majori nequaquam indigerent,  
 nisi ea graviora forent: Atqui graviora  
 certè fiunt, non natura ipsâ, sed sacerdo-  
 tis, qui ea commiserit, conditione ac  
 dignitate.

Facit huc, quod S. BERNARD. l.  
 2. de considerat. cap. 13. dicit: inter secu-  
 lares nuga, nuga sunt; in ore sacerdotis  
 blasphemia. Et Concilium Tri. sess. 22. de  
 Reformatione, cap. 1. de clericis agens,  
 Levia etiam, inquit, delicta, QUÆ IN  
 IPSIS MAXIMA ESSENT, effu-  
 giant.

REG. VII. Pœnitens, fragilitatem,  
 societatem, aliasque causas allegans,  
 primò (N.) inducendus et animandus  
 est.

est ad subeundam satisfactionem suffi-  
cientem: ac deinde eidem imponenda est  
pœnitentia, quam possit ac velit portare;  
ne fortè peccet postea deterius, pœniten-  
tiam infringendo. ita Synodus Nemaui-  
fens. Regula 4. citata S. Raymund. de  
Pennaf. in summa sua l. 3. Tit. 34 quæst.  
135. Astesanus l. 5. Tit. 31. Scotus in 4.  
dist. 15 quæst. 1. art. 3. S. Antoninus in  
summa Theol. p. 3. Tit. 17. c. 20. ante §. 1.  
Joan. de Burgo in Pup. oc. c. xi. Mani-  
pulus Curatorum anno 1333. scriptus,  
Tract. 4. summa Rudio, & alii.

Docentque S. Raymundus, loc. cit.  
eiusdemque glossator Guillelmus Rodo-  
niensis, Ioannes de Friburgo, summa  
Rudio, summa Angelica, & alii, quòd  
ob probabile omissionis periculum  
concedendum sit pœnitenti, ut opus  
inunctum possit ex causâ alio opere  
æquivalente redimere: vel; ut, si aliquâ  
die omittat pœnitentiam inunctam,  
possit in alio die sequenti recuperare  
illam. Quarendum etiam est ab eo, si  
potest

138 *Regula de poen. injungenda.*

potest illam facere, vel dubitat; quia tunc non est injungenda illa, sed alia, quam potest facere ita S. Antoninus ex ord. Præd. Archiep. Florent. anno. 1459. defunctus, in Confessionali suo parte 4.

D. THOMAS, Quodlibeto 3. quæst. 28. docet, quod sacerdos possit satisfactionem injungere etiam arbitrio ipsius poenitentis; v. gr. *Facias hoc si potes; & si non potes, facias hoc.* ita etiã docet S. Raymūdus loco paulò antecitato.

JOAN. DE BURGO, hic quoque citatus, sacerdos, inquit, nullum sinat peccatorem à se recedere desperatū propter gravitatē poenitentia; sed potius ei imponat, ut **QUOLIBET DIE** <sup>dicit</sup> ~~vel~~ <sup>vel</sup> ~~quodlibet~~ <sup>quodlibet</sup> Pater noster; **QUALIBET** septimanā vadat ad Ecclesiam; vel aliquid levius, quod merā suscipere voluerit voluntate.

Hoc tamen sanè intellige, inquit S. Antoninus p. 3. Tit. 17. cap. 20. videlicet, si aliàs ipsum poenitet; & paratum se

se dicit facere, quod debet ; sed unus  
pœnitentia dicit nō posse sufferre. Idem-  
que monet SYLVESTER Prieras ,  
sub Leone x. Magister S. Palatii, ac  
deinde totius ord. Præd. generalis ,  
verbo, Confessor. 4. §. 2

D. THOM. Quodlib. 3. qu. 28.  
Melius est, ait, quod sacerdos pœnitenti  
[ quem propter grave pondus satisfa-  
ctionis timet desperaturum ] indicet,  
quanta pœnitentia esset sibi pro peccatis  
injungenda ; & injungat sibi nihilomi-  
nus aliquid, quod pœnitens tolerabiliter  
ferat ; **EX CUJUS IMPLETIONE**  
**ASSUEFIAT** , ut majora impleat,  
quàm sacerdos sibi injungere attentas-  
set. Verùm ; poteritne ad hæc assuefieri  
per hoc, quod semel pro semper recitat,  
5. Pater noster, aut 7. psalmos ?

SCOTUS in 4. dist. 15. qu. 1. art. 3.  
Cum, inquit, pauper atiquis est furatus ;  
si contritio non sufficiat, non debet pec-  
catum omnino manere inultum : Non  
potest autem eleemosynas dare ; **NEC**  
**ORA-**

ORARE, nec jejunare propter continuum laborē pro victu necessario. Ergo, quia ipse labor continuus est sibi continuum jejunium, tantummodo inducendus est, ut illum laborem subeat in remissionem peccatorum ( eundem videlicet in & per Vulnera CHRISTI JESU, in unione laborum & passionum ejus, aeterno Patri humillimè offerendo ) saltem quousque occurrat sibi opportunitas solvendi aliquam aliam satisfactionem. Consimiliter dives, qui lapsus est ad peccatum carnis, si est adeo delicatus, quod non velit jejunare, nec aliquam macerationem notabilem subire ( nimirum voluntate rationabili, propter nimiam difficultatem ) vel presumitur, quod, si sibi imponeretur, citò abjiceret, & sic peccaret novo peccato; inducendus est ad orationē & eleemosynas; & illud sibi imponendū est, quod creditur (N.) PERSEVERANTIUS (nō utique brevissimas preces semel pro semper fundendo ) adimplere.

*Pauper,*

*Pauper, qui furatus est, inquit hic*  
**SCOTUS**, *non potest pro poenitentia*  
*orare. At quisnam adeo pauper est, ut*  
*non possit præ necessario labore unum*  
*alterumve Rosarium, præsertim die*  
*Dominicâ, vel in aliâ festivitate orare?*  
*profectò nullus. Vult igitur hic Scotus,*  
*quòd pauper non possit pro peccato*  
*mortali tantum orare, quantum in*  
*congruam satisfactionem sufficit: hoc*  
*est, quod non possit plerumque jejunis*  
*preces alere; ingemiscere, lachrymari &*  
*magis* **DIES NOCTESQUE**; *id*  
*quod ex omologesi mandare* **TER-**  
**TULLIANUS** *lib. de poenit. c. 9.*  
*docet. Vel non potest [ ut juxta S.*  
**CYPRIANUM** *lib. de lapsis, prope*  
*finem, oportet ) orare impensius & ro-*  
*gare; diē luctu transigere; vigiliis noctes*  
*ac fletibus ducere; tempus omne lachry-*  
*mosis lamentationibus occupare. Vult,*  
*inquam, scotus, quòd confitētes, ut ibi-*  
*dem pluribus docet, sint cum omni*  
*humanitate & discretione tractandi;*  
*&*



& tamen pro peccato gravi non debeant brevissimæ preces unâ duntaxat vice dicendæ, injungi. *Oratio non habet rationem satisfactionis, nisi quæ, & quatenus habet poenam sive carnis afflictionem,* inquit D. THOMAS in 4. dist. 14. art. 4. in solutione quæstiunculæ 3. ad 1.

Quod verò SCOTUS loco cit. docet absolvendum esse confitentem, qui dicit se habere *displacitiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidivandi, etiamsi omnino nullam poenitentiam velit suscipere;* hoc nequam de alio aliquo, quàm de homine *tentationibus quæssato,* in casu desperationis timendæ dicit; qualis est homo scrupulosus, qui in quibuslibet operibus obligatoriis maximas turbationes & anxietates sentit; cui proinde ad certum aliquod poenitentia opus non obligato, potest indeterminate, quicquid boni fecerit, vel mali patienter sustinerit, in satisfactione injungi. Cætera verò

verò ibidem ad secundum SCOTUS agnoscit *præceptum de aliquâ poenâ infligendâ* ; & quòd *contritio includit aliquam satisfactionem, in voto saltem*. videlicet, quando est exigua & remissa: Magna enim, vehemens ac valde intensa contritio, & ipsamet sufficiens satisfactio est ; & nihilominùs ardens satisfaciendi votum includit. Atque hæc quidem contra calumniam Doctori subtili ab aliquibus factam hoc loco sint dicta.

Porro hac Regulâ diligenter observatâ, sacerdos non tantùm sine suo periculo potest, sed etiam debet poenitentem cum levi poenitentiâ ad purgatorium dimittere ; ne faciat eundem desperare, atque ad inferos præcipitem ire.

REG. VIII. *Confessor, cum minore poenitentiam debitâ imponit, debet innotescere confesso, quòd illa imposita non est condigna ; ne decipiatur, putans ipsam sufficere ; sed quòd deberet pro quolibet*

quolibet mortali septennem agere poenitentiam; quam si hic non faciet, luet in purgatorio. ita S. Antoninus summæ Theol. Tit. 17. cap. 20. ante §. 1. D. Thomas & Scotus Reg. 7. citati. S. Raymundus l. 3. summæ, Tit. 34. qu. 135. S. Carolus Borromæus hic Regulâ 3. sub finem laudatus, & alii. *Demonstrabit tamen [sacerdos] iis, qui gravius peccarunt, [quo magis scelerum suorum gravitatem agnoscant] quanta ipsis poenitentia ex canonum regulis imponenda esset, inquit ibidem S. Carolus Borr.*

REG. IX. *Infirmus, qui necessitate mortis urgente confitetur peccata sua, sub eâ conditione à sacerdote reconcilietur, ut, si ei Dominus vitam donaverit, sanitatemque reddiderit, secundum qualitatem delicti omnimodis poeniteat.* ita Concilium Nannetense in Galliâ circa annum 658. can. 5. Concilium Moguntinum anno 847. can. 26. synodus Nemaufensis Reg. 5. cit. synodus Cicestren-

Cicestrensis in Angliâ anno 1289. can. 16. Synodus Bajocensis in Gal. anno 1300. can. 78. S. Antoninus in Confessionali, parte 4. cap. ult. & alii. *Meminerit porro sacerdos, inquit Rituale Rom. agris non esse injungendam GRAVEM aut LABORIOSAM pœnitentiam; sed INDICENDAM tantum ILLAM; quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi aliquâ oratione, aut levi satisfactione impositâ, & acceptata absolvantur, pro ut opus fuerit.*

REG. X. *Hominiibus novis in fide debet pœnitentia minor imponi. Cap. Deus, qui. De pœnit. & remiss. l. 5. Decretal. Hi enim antequam transfirent ad castra Dei, vel secum ipsis, vel etiam cum seculo nequam habuerunt gravissimam luctam; quam ob causam nutriendi sunt lacte, non escâ.*

REG. XI. *Posset esse tanta contritio confitentis, quòd pro peccato maximo esset ei modica; immò quasi nulla pœni-*

Ⓔ

entia

zētia imponenda. ita Guido de monte Rotherii, Hispanus, in *Manipulo Curatorum*, quem anno 1333. dedicavit Richardo Archiep. Valentino, Tract. 4. Magister sent. lib. 4. dist. 15. & 20. D. Thom. in supplem. 3. p. qu. 5. art. 2. Scotus in 4. dist. 15. art. 3. ad 2. aliique omnes. *In actione pœnitentia non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris*, inquit S. Aug. in *Enchiridio*, cap. 65.

Unde S. BERNARDUS Arnulpho de Majorcâ in Flandriâ viro illustri, diviti, ac delicato nimis, suscepto habitu & ordine Monastico in Claravalle, confitenti cum gemitu & lachrymis multis delicta universa, quæ in mundo contraxerat, intuens cordis ejus AMARISSIMAM CONTRITIONEM, & ad omne opus bonum spontaneam voluntatem, injunxit, ut orationem Dominicam tribus vicibus diceret, atque in suo proposito deinceps usque ad mortem perduraret. Quo ille audito CON-  
TRI-

TRISTATUS respondit : Ne, quæso,  
IRRIDEAS famulum tuum. in quo  
te, ait, irrideo? At ille ait : JEJUNIA  
SEPTEM ANNORUM, VEL DE-  
CEM QUOQUE, NON SUFFICE-  
RENT MIHI, ETIAM HUMILIA-  
TO IN SACCO ET CINERE; &  
tu mihi præcipis orationem Dominicam  
tertiò dicere, & in ordine perseverare?  
Et sanctus ad eum : Ergo ne tu me meli-  
ùs nôsti, quid te oporteat facere, ut sal-  
veris? An tibi fortè parum videtur or-  
dinem tenere, & in ipso usque ad mortem  
perseverare? ille verò respondit : Absit ab  
anima mea tã iniqua præsumptio: SED  
OBSECRO, NE MIHI PARCAS  
IN PRÆSENTI, UT MELIUS  
PARCAS IN FUTURO; & talem  
nunc impone pœnitentiam, quatenus  
post mortem carnis ad requiẽ sine pœna  
perveniam. Cui B. Pater ait: Fac, ut lo-  
cutus sum; & securum te facio, quòd  
deposita mole corporis mox ad Deum  
sine molestia pervolabis. Ita author libri,

cui titulus est. *Exordium ordinis Cisterciensis.* Vel, *Liber de initio ordinis Cist.* c. 22. ex ore eorum, qui cum S. Bernardo vixerunt. Veruntamen tu observa, quanta vitæ austeritas sub S. Bernardo vigerit in Claravalle!

PETRUS quoque DE CORBELIO, circa medium seculi 13. Archiep. Senonensis in Galliâ cuidam, qui propriam oppresserat filiam, propter amarissimam cordis contritionem septennem duntaxat poenitentiam imposuit. Tunc ille: *Quid est, ait, QUOD TANTUM SEPTENNEM POENITENTIAM mihi flagitiosissimo injungitis? qui, si viverem usque ad finem mundi, tantum facinus poenis innumera- rabilibus diluere non valerem.* Cui Praesul: *vade, & tres dies in pane & aqua tantum jejuna.* Tunc amplius ille plorans & contundens se, rogabat, ut poenitentiam sibi injungeret salutarem. Episcopus verò precepit homini, ut abiret & unum tantum *Pater noster* diceret. Ille

Ille autem hoc audito dirum emittens  
 ejulatum protinus exspiravit. Nec du-  
 bia fides est, sicut DEO dignus idem  
 Episcopus predicavit, quod sine poena  
 purgatorii ad gloriam evolarit. ita circa  
 annum D. 1470. discipulus, sive Joann.  
 Herolt, serm. 14. de tempore, ex Thomâ  
 Cantipratano, lib. 2. Apum, cap. 51.  
 particula 7.

GUILLERMUS Episc. Paris. in  
 Tract. de Sacram. Poenit. c. 46. Ipsa,  
 inquit, Contritio interdum ipsa satisfa-  
 ctio est, ultra quam nihil requirit Deus à  
 poenitente pro omnibus peccatis & deli-  
 ctis suis: Tantum est enim nonnunquam  
 desiderium revertendi ad DEUM in  
 poenitente; & restituendi, atque augendi  
 DEO, quicquid subtraxit honoris &  
 gloria: Tantus zelus ulciscendi in se-  
 metipso irrogatas DEO injurias vel  
 contumelias: Tanta ira & odium in  
 omnia ea, quæ DEO displicent, vitia &  
 peccata: Tantus ardor dilectionis in ea,  
 quæ Deo placent, & ad virtutes & ope-



*ra earum : Tantus dolor de offensione  
 DEI, & recessione ab ipso: Tam magni-  
 ficum tanque fervens propositum omnia  
 aggrediendi & sustinendi, quacunque  
 DEO beneplacitum fuerit ipsum agere  
 & sustinere: Tanta humilitas abiiciendi  
 se & subiiciendi se consilio Ecclesie:  
 Tanta deprecationis & orationis  
 devotio; ut merito Baptismus fla-  
 minis vocanda sit; Baptismus, in-  
 quam, plena emendationis à cul-  
 pis, & plena liberationis à poenis; ut  
 evolare absque sensu & experiētia pur-  
 gatorij faciat poenitentes, si ipsa hora ex  
 corporibus excesserint. Vide & *Viam  
 Pacis* c. 1. art. 5. § 4 pag. 113. Atque hoc  
 loco disce à Guillormo, qualis & quan-  
 ta debeat esse Cōtritio, quæ virtute san-  
 guinis, Passionis, & satisfactionis Chri-  
 sti, per fidem fiduciamque firmam sibi  
 applicatâ, penitusque immixtâ, animâ  
 ab omni tam culpæ, quàm poenæ reatu  
 mundat.*

REG. XII. CAUTUS ET DIS-  
CRETUS SACERDOS post iniun-  
ctam poenitentiam dicat poenitenti ;  
quod omnia bona, quae fecerit ; & omnia  
mala, quae sustinuerit , ei proficiant ad  
salutem : ET PRO POENITEN-  
TIA HÆC OMNIA (NB) INJUN-  
GAT. ita ex & cum S. Raymundo &  
Hostensi, anno D. 1444. monuit Ni-  
colaus de Ausino, Ordinis Min. in sup-  
plemento Pisanelle, verbo ; *Poenitentia*  
2. Et rectissimè quidem ; Nam, ut D.  
Thomas Quodlib. 3. quæst. 28. docet,  
hæc, quæ præter iniunctionem expres-  
sam (i. e. determinatam) facit (poenitēs)  
accipiunt maiorem vim expiationis  
culpe præteritæ ex illa generali [NB.]  
INJUNCTIONE, qua sacerdos dicit :  
Quicquid boni feceris, &c. Quia opus,  
quod quis facit ex iniunctione sacer-  
dotis ( etiam generali & indetermi-  
natâ ) dupliciter valet poenitenti ;  
uno modo ex natura operis ( quatenus  
videlicet id ipsum à Spiritu S. inhabi-  
tante,

tante, atque in eo, & per eum operante procedit ) *alio modo ex vi clavium.*

Vi autem clavium valere ; sive satisfactio sacramentalis esse non possunt opera, nisi ea, quæ vel specificè & determinatè, vel saltem genericè & indeterminatè **IN JUNCTA** sunt à sacerdote; hoc nimirum sensu: *Quicquid* respectu hujus Sacramenti, tuo arbitrio vel *boni feceris, vel mali patienter sustinueris*, id tibi *injunctum* habeto, & quasi *iniunctum* facito, ac sustineto ; atque ita *fit tibi in remissionem peccatorum*: Neque enim puræ & simplices sacerdotis preces queunt efficere, ut omnia, quæ quoquo modo feceris, bona, sint satisfactio sacramentalis, & virtute clavium valeant apud Deum ; immò verba ista: *Quicquid boni feceris*, &c. juxta D. Thomam, meliorisque ævi & notæ Theologos sunt non tam precatio, quàm *iniunctio*, & permissio sive concessio eligendi poenitentiam opportunam.

Cum-

Cumque generalem ist hanc injun-  
ctionem admodum pauci intelligant,  
juverit pœnitentem, quod eandem, in-  
strui & expressè moneri: Etenim, vel  
non injungis; vel, cum injungis, ita  
indicas te injungere, ut eum, cui injun-  
gis, id intelligere credas: Opera autem  
non injuncta, satisfactio sacramentalis  
esse non possunt.

*Presbyter (pœnitenti) dicat, inquit  
ASTESANUS lib. 5. Tit. 31. Charis-  
sime; Tu pro quolibet (peccato) deberes  
sic [ modum & tempus hic indicet ]  
pœnitere... sed forte vita tua ad hoc  
agendum non extenderetur: in ungo  
tamen tibi pœnitentiam talem pro om-  
nibus. CONCEDO etiam tibi, quod  
elemosyna, & omnia alia bona, qua  
feceris &c. tibi profint ad remissionem  
peccatorum, Scil. virtute clavium; præ-  
sertim meditatio Dominicæ passionis;  
sive Passio D. N. I. C. quatenus eam  
respectu hujus Sacramenti quasi ex in-  
junctione determinatâ devotè medi-  
taberis,*

taberis, atque in plenam satisfactionem  
& defectuum tuorum suppletionem  
(meritis quoque B.M.V. omniumque  
sanctorum subiectis) Patri aeterno  
obtuleris. Silvester quoque Prieras,  
verbo, *Confessor*, quarto, quaest. i. illa,  
*Quicquid boni feceris, &c.* vocat *gene-  
ralem INJUNCTIONEM.*

*Benè faceret sacerdos, inquit Ioan. de  
Burgo in Pupilla oculi c. 10. Si diceret  
ita poenitenti: Omnia bona, quae facies,  
& mala, quae tolerabis, INJUNGO  
TIBI PRO POENITENTIA.* Et S.  
Antoninus, 3. p. summae. Theolog.  
Tit. 17. c. 20. ante §. i. *Quando Confessor  
INJUNGIT omnia bona, quae faciet  
poenitens, intelligitur, quae gratis, sponte,  
& non ex debito, ( id est, non ex alia  
obligatione) faciet.* Rursus, in Confes-  
sionali suo, part. 4. c. 48. ait dicendum  
esse. *Quicquid boni feceris, & PRO-  
PONIS facere;* Atque hoc ipso sat  
clare insinuat, poenitentem ad hoc dis-  
ponendum esse, ut ( quò satisfactio,  
quam

quam ex arbitrio suo præstiterit, sit sacramentalis ) in ipso confessionali firmum faciat propositum, præter illa, quæ sacerdos determinatè injunxit, adhuc plura alia, quæ temporis, virum, aliarumque circumstantiarum ratio permiserit facere, in satisfactionem præstandi; adeoque verba illa: *Quicquid boni feceris* &c. habere hunc sensum: *Quicquid boni* virtute propositi generalis & indeterminati modò facti, deinceps quasi determinatè injunctum, *feceris, &c.*

QUÆ VERBA NON SUNT OMITTENDA, inquit ibidem S. Antoninus: *Quia sunt magnæ utilitatis; ut scilicet omnia huiusmodi postea habeant vim satisfactionis etiam ex virtute clavium; & sic magis valeant.* Vide & S. VINCENTIVM Ferrerium, Dominica 15. serm. 2. §. *Quantum ad quartum*, hoc ipsum clarissimè insinuantem.

Optimè quoque faciet, & poenitentis infirmitati non parùm proderit sacerdos;

dos; si eidem inculcet ea, quæ infra c. 7. num. 1. 2. & 3. docentur.

## CAPUT III.

*De Purgatorii acerbitate ac diuturnitate ; nec non de indiscretione tam Confessarii, quàm Confitentis.*

I. **G**VILLERMVS, ab año 1228. usque ad 1249. Episcopus Paris. Doctor profundus & unctus, in Tract. de sacram. Poenit. c. 55. *unus*, inquit, & *idem poenitēs* (ab omni poena) *liberari potest & absolvi, diversarum* [i.e. magis aut minus rigidarum] *poenitentiarum iniunctione : Et equaliter peccantibus atque poenitentibus iniungi salubriter possunt inaequales poenitentia seu satisfactiones (nimirum dum unus Confessarius sic, alius verò aliter iudicat) Cum enim in arbitrio Confessoris*

¶

7. & voluntate poenitentialem satisfactionem positam esse dicamus; dicimus consequenter, quod in bonâ fide ipsius hoc positum est.

II. HOC AVTEM EXIGIT BONA FIDES, ut consulantur periti iuris coelestis atque Divini, vel SCRIPTA SANCTORVM atque prudentum, de poenentiâ atque iniunctione: Et quod debita deliberatione atque consilio poenitenti (sacerdos) iniunxit, hoc misericors Deus, tanquam gratam (ac sufficientem) satisfactionem a poenitente suscipit.... Et hanc dicimus esse potestatem Ecclesiae, & hoc ei in parte ista commissum; ut satisfactiones, quas ea fide atque consilio, quibus diximus, confitentibus (sacerdos) iniunxerit; ratas, gratas, & acceptas habeat misericors Deus. Nimirum, clave sacramentali non notabiliter errante in impositione poenitentiae, ut Gerson, Guillermo consentiens, in Regulis moralibus ait. id est, si sacerdos satisfactionem juxta San-

G 7

ctorum



Etorum Patrum (eandem pro seculorū locorumque diversitate magis aut minus rigidè taxantium) scita iniungens; vel medium aliquem, vel saltem infimū veræ convenientisque justitiæ gradum attigerit; uti etiam Scotus in 4. dist. 19. quæst. unica, art. 5. docet.

III. Vnde Guillelmus loco cit. pluribus inculcat; necessarium esse, ut sacerdos *solerter & studiosè hic agat.* Et, *qui minore, inquit, diligētia uteretur in isto iudicio, quàm in iudicio seculari [ ubi tantopere consuluntur libri legum ac iudiciorum; tam sollicitè examinatur factum; tanta circumspēctione pronūciatur sententia ] MANIFESTE NEGLIGENS ESSET, & INIQUVS, ATQVE INFIDELIS IVDEX.*

IV. *Petrus Lombardus, sive Magister sententiarum, ab aṅ. 1159. ad 1164. Episcopus Paris. l. 4. dist. 20. §. 3. hunc titulum, ab innumeris in eum commentantibus probatū ponit:*

*De*

De illo, cui sacerdos **INDISCRETVS** iniunxit poenitentiam **PARVAM**, i. e. gravitati criminis nequaquam convenientem.

V. Cur autem sacerdos ille dicitur *indiscretus*, & *iniquus atque infidelis iudex*? Audi Magistrum: si non sufficiat, inquit, dolor interior simul cum poena iniuncta, addet **DEVS** poenam: nimirum in altera vita.

VI. Quam verò acerba sit illa, quam Deus in altera vita infligit & addit, purgatorii poena, **S. AVGVSTINVS** in psalmum 37. ad versum 1. his verbis insinuat: *Quia (1. Cor 3.) dicitur: salvus erit; contemnitur ille (emendatorius) ignis: Gravior tamen erit ille ignis, quam quicquid potest homo pati in hac vita. Et post pauca: ista, quae hic sunt mala (quæque pertulerunt Martyres in confessione Christi; adeoque & ignis nostri tormenta) MVLTO FACILIORA SVNT.*

VII. Sanctus quoque **ANSCHARIVS,**

**RIVS,**

RIUS, Archiepiscopus Hamburgensis  
(año. 865. defunctus) à s. Joh. Bapt. &  
Petro Ap. in extasi fuit ductus ad locū  
quendam, quem purgatorium esse,  
nemine narrante, certissime sciebat:  
ubi (ductoribus eum relinquentibus)  
cum multa passus esset, præcipue tamen  
tenebras densissimas, pressurasque im-  
manissimas & suffocationes visus est to-  
lerasse; atque omni memoriã ablatã hoc  
solum vix cogitare sufficiebat, quomodo  
tam immanis posset aliqua existere pœ-  
na: Cumque per TRIDIUM, ut ipse  
putabat, ibi cruciaretur, (quod spatium  
illi MILLE ANNIS LONGIUS  
propter immensam pœnam visum est)  
rursum redeunt jam dicti viri, &c. ita  
S. Rembertus ejus discipulus, & in Ca-  
thedrã Hãburgensi (cui sub S. Anschario  
unita fuit, & tandem prævaluit Bre-  
mensis) successior, año. 888. 4. Febr. de-  
functus, in vitã ejusdem, apud Bolland.  
Tomo 1. Febr. & apud Mabillon.  
seculi 4. Benedistini parte 2.

*Magna*

*Magna fuit poena B. Laurentii in craticulâ, & etiam B. Bartholomaei; sed nihil fuerunt respectu poena Purgatorij; in tantum, quod momentum videtur mille anni, inquit S. VINCENTIUS Ferrerius, Domin. 15. post Trinit. serm. 2. immò S. Maria Magd. de Pazzis, anno 1587. Visis in raptu purgatorii supplicii, Tormenta, inquit, omnia à sanctis Martyribus tolerata, horum respectu sunt instar horti amenissimi. ut Tomo 6. Maj. p. 238. licet videre.*

VIII. Porro; quoad purgatorii DIUTURNITATEM, Thomas Cantipratanus, circa annum D. 1250. ex Ord. Præd. suffraganeus Cameracensis, in vitâ *S. Ludgardis* l. 2. c. 7. testatur, se se ab ipsamet audisse, quòd *Innocentius III. Viſ* [ ut ejus conciones, aliaque & scripta & acta testatur ] apprimè zelotus, & Pontifex aliàs undequaque laudatissimus, anno 1216. 16. Julii defunctus, eidem in horribili flammâ apparens dixerit: *Tres ob causas ita crucior;*

crucior; quæ etiam, æternis supplicijs me  
 iustissimè addixissent, nisi per interces-  
 sionem piissimæ Matris Dei, cui monaste-  
 rium condidi, in extremis me pœnituis-  
 set: Et æternam quidem mortem evasi;  
 sed pœnis atrocissimis usque ad iudicij  
 diem cruciabor. Causarum verò ista-  
 rum prima, juxta Theophilum Raynau-  
 dum in opere, cui titulus est: *Mala è  
 bonis Ecclesie*, lib. 2. sect. 3. c. 5. §. 18. fuit  
 profusio Ecclesiastici census in necessari-  
 os suos. Secunda, haud tenuis expensæ  
 collocatio in structuras gentilitio nomine  
 donatas. Tertia, promotio multorum è  
 suis, sive familiaribus, sive necessariis  
 ad amplissimas dignitates Ecclesiasticas.

IX. Idemque iudicium [de Purgato-  
 rii videlicet pœnis usque ad mundi finem  
 ferendis] animas valde multas,  
 per similitudines corporeas hor-  
 rendo in igne visas manere, qui-  
 dam à mortuis resuscitatus ex ore du-  
 ctoris Angeli retulit S. BONIFACIO,  
 Germanorum Apostolo, ut ipse, cla-  
 rissimus

rissimus Regni Christi athleta ab Ottone Frisingensi l. 5. c. 33. meritissimo jure vocatus, in epist. ad Eadburgam Virginem (quæ est apud Letznerum prima, apud Serarium verò 21.) testatur.

X. Et religiosissimo cuidam Presbytero, cui nomen *Henigils*, ultimam ætatem pane cibario & aquâ sustentanti, *Drichelmus* quidam pater-familias, pariter & ex mortuis redivivus, & ab Angelo ductore edoctus, idem de plurimarum animarum à se in Purgatorio visarum pœnis usque ad diem Judicii duraturis narravit, apud ven. Bedam, qui id ex ipsius *Henigils* ore audivit, historiæ Ecclesiast. gentis Anglorum l. 5. c. 13. ubi etiam vide, quàm stupendo pœnitentiæ rigori se se idcirco manciparit *Drichelmus*; & quòd hominibus, quomodo tantæ austeritatis rigorem tolerare posset, interrogantibus responderit: *Frigidiora ego vidi. Austeriora ego vidi.*

XI. *Vettinus* etiam a. 824. quendam

dam

dam Monachum, qui per opus aliquod peculiare communis vite corrumpit integritatem, usque ad finem mundi pœnis addictum Angelo ostendente vidit: de cuius visione n. 14. plura.

XII. Sancta quoque Mechtildi quaedam vice Beatorum omnium minimus, maximâ in gloriâ ostensus, dixit se raptorem fuisse, & nunquam opus bonum fecisse. *Et huc, ait, in gaudium quomodo intrasti? Et ille: omnia mala, quæ feci, non ex nequitia, sed quasi ex consuetudine, & melius nesciens perpetravi; quia ad hoc à parentibus nutritus eram; ideoque in fine per pœnitentiam misericordiam Dei sum consecutus. At CENTUM ANNIS fui in locis pœnarum, & multa pertuli tormenta; & nunc sola gratuita Dei pietate huc in requiem sum deductus.* ita Revelationes S. Mecht. lib. I, cap. 33.

XIII. Quis autem non mallet aliquot annis bis terve in hebdomadâ jejunaire in pane & aquâ, quàm vel in  
nostro

nostro igne per unam duntaxat horam  
 (corpore & animâ per Dei potentiam  
 fervatis) vivus ardere? immò, cum  
 nostri ignis tormenta juxta S. Augusti-  
 num *multò faciliora* sint, quàm illius;  
 quidnam de centum aut multò pluri-  
 bus annis in illo agendis erit dicen-  
 dum? Profectò, *ibi erit una hora gravi-  
 or in pœna, quam hic centum anni in  
 amarissima pœnitentia*: quemadmodũ  
 Religiosissimus ille Thomas à Kempis  
 l. i. de imit. Chr. c. 24. loquitur de infer-  
 no: Esto hujus tormenta, saltem respec-  
 tu pœnæ damni, rabidæque & furio-  
 sissimæ desperationis sint graviora. Et  
 quidnam fiet de eo, qui ex nequitia &  
 meliùs sciens perpetrat mala; quando-  
 quidem ille, qui non ex nequitia, &  
 meliùs nesciens peccaverat, centum  
 annis in locis pœnarum fuit?

XIV. Quin & piissimus ille Impera-  
 tor, Carolus Magnus, (qui, ut rectif-  
 simè l. i. scribit Nithardus, *omnem Euro-  
 pam omni bonitate repletam reliquit*,  
 &



& nunc colitur inter Sanctos) anno 814.  
 28. Joan. defunctus; adhuc anno 824.  
 30. Octob. idest, undecimo post obi-  
 tum anno fermè elapso, ob aliquot  
 simplicis fornicationis peccata, hic  
 non penitus expiata, in magnâ pœnarû  
 deformitate visus est à Religiosissimo  
 Monasterii Augiensis Ascetâ WET-  
 TINO, paulò ante mortem ad mundi  
 alterius loca extra se raptò: uti ex ore  
 ipsius Wettini testantur, *Hetto* (aliàs  
 Heyto, Heydo vel Hayto) Episcopus  
 Basileensis, & Abbas Augiensis, vir pla-  
 nè incomparabilis, ac ejusdem Caroli  
 M. anno 811. ad Nicephorum Orientis  
 Imperatorem Legatus, apud Mabillo-  
 nium, seculo 4. Benedictino, parte 2.  
 pag. 268. & Walafrius Strabo ibid. pag.  
 282. Hic añ. 825. in carmine Heroico;  
 ille autem añ. 824. in Prosâ *de visione*  
*Wettini*. Cujus etiam, ut viri Religiosi-  
 ssimi ac præstantissimi, obitum memo-  
 rant per vetusti *Annales Weingartenses*  
 ad annum 823. Tom. 4. *Analectorum*  
 veterum

veterum Mabillonii. *Hepidannus* ad annum 823. et *Herm.* Contractus ad annum 824.

XV. Cumque Carolus M. sub nepote suo Lothario (Ludovici Pii, anno 840. defuncti filio ac successore) à S. *Rotchario* in medio Sanctorum visus, eundem fuerit ita affatus: *Fili; scias, quia ego sum Carolus; ego ob devotissimam fidelium Dei precem ereptus à poena, in hac collocatus sum gloria* [ ut Mabillonius seculo 4. Bened. parte 1. pag. 668. ex Remigiani apud Rhemos Coenobii codice membranaceo, annos bene 800. præferente refert ) verisimillimum est, eum tunc non ita pridem liberatum; adeoque ultra, vel saltem ad 26. annos in pœnis fuisse.

XVI. Pro quonam verò plura sacrificiorum ac precum suffragia sunt Deo oblata, quam pro tanto, cunctisque tam charo Monarcha? Præsertim cum ipse tribus ante obitum annis de rebus suis disponens, duas thesaurorum privatorem

vatorum tertias , statim sub sigillo re-  
 positas , eleëmofynæ nomine legaverit  
 universis per Germaniam , Italiam &  
 Galliam Ecclesiis Metropolitanis &  
 Cathedralibus post suum obitum di-  
 stribuendas ; una duntaxat tertia sibi-  
 met reservata: Quam & ipsam ( multis  
 utique incrementis per triennium au-  
 ctam ) post mortem suam dividi jussit in  
 4. partes; ita, ut una quidem supradictis  
 duabus tertiis *adderetur* ; altera ( quæ  
 respectu omnium non nisi duodecima  
 erat ) à filiis ac filiabus, nepotibusque ac  
 neptibus suis *assumpta* , ac *justa & ra-  
 tionabili inter eos partitione dividere-  
 tur* ; tertia verò , **CONSUETO**  
**CHRISTIANIS MORE** , in usum  
 pauperum erogaretur ; quarta simili  
 modo, nomine eleemosynæ in servorum  
 & ancillarum, usibus Palatii famulan-  
 tium, sustentationem distributa veni-  
 ret. Atque hæc omnia filius ejus Ludo-  
 vicus , qui divina ei jussione successit,  
**QUAM CELERRIME POTE-  
 RAT,**

RAT, post ejus obitum summa devo-  
 tione adimplere curavit. ut Eginhardus  
 in vita Caroli M. cap. 10. testatur. Nec  
 ullum est dubium, quin per dispositio-  
 nem & adimplentem jam dictam pro  
 anima ejus carne soluta Missarum ac  
 precum suffragia fuerint intenta atque  
 obtenta; quandoquidem ea Carolus M.  
 etiam extra fines Imperii pro anima  
 dilectissimi sibi Hadriani Papæ quæsi-  
 vit: *Dalmaticas & pallia*, inquit ipse in  
 epist: ad Offam Regem Merciorum in  
 Anglia, *ad singulas sedes Episcopales*  
*Regni vestri, vel (i. e. et) Ethelredi di-*  
*reximus in eleemosynam Domini Apo-*  
*stolici Hadriani*; DEPRECANTES,  
 UT PRO EO INTERCEDI JU-  
 BEATIS. apud Willelm. Malinesburi-  
 ens. de gestis Regum Angl. l. 1. c. 4. Et  
 Theganus de gestis Ludevici pii, cap.  
 7. CUM MAXIMA inquit, FESTI-  
 NATIONE jussit [ Ludevicus ]  
 ostendere sibi omnes thesauros Patris, in  
 auro, in argēto, in gemmis pretiosissimis,

H

G

& in omni suppellectile. Dedit sororibus  
 suis partem earum legalem; & quicquid  
 remanserat, dedit PRO ANIMA PA-  
 TRIS. Maximam partem thesauri  
 misit Romam temporibus B. Leonis Papa;  
 & quicquid super hoc remanserat, sa-  
 cerdotibus & pauperibus, aduenis,  
 viduis, orphanisque omnia distribuit;  
 nihil sibi reservans præter unam men-  
 sam argenteam ob amorem Patris; &  
 tamen eam alio pretio redemit, QUOD  
 PRO PATRE TRADIDIT. ita  
 Chor episcopus ille Trevirensis, Ludo-  
 vico pio Coævus. Unde hoc seculum,  
 pro defunctis Parentibus parum solli-  
 citum, salutare sumat exemplum.

XVII, Ipsum quoque Ludovicum  
 Pium, anno 840. 20. Junii piissimè de-  
 functum, anno 874. sive post ejus obi-  
 tum 34. Ludovicus junior, ejusdem  
 filius, Rex Germaniæ [Princeps ingenio  
 callidissimus, & consilio providentis-  
 simus, ut Regino ad annum 876. testa-  
 tur] diebus Quadragesima, cum Franco-  
 furti,

*furti, negotiis secularium rerum depo-*  
*sitis, orationi vacaret, quadam nocte in*  
*somnis vidit in angustiis constitutum;*  
*qui eum hoc modo Latino affatus est*  
*sermone: Adjuro te per Dominum no-*  
**JESUM CHRISTUM**, *ut me*  
*eripias ab his tormentis, in quibus deti-*  
*neor; ut tandem aliquando vitam possins*  
*habere aeternam. Hac ergo visione per-*  
*territus, epistolas per cuncta regni sui*  
*Monasteria destinavit; obnixè postu-*  
*lans, ut anima in tormentis posita suis*  
*apud Dominum precibus intervenirent.*  
*ut referunt Annales Francorum Ful-*  
*denses, per plures viros, rebus in iisdē*  
*contentis coævus scripti, ad annum*  
 874. *Causa verò, ob quam virtuosis-*  
*simus ac devotissimus Imperator tot*  
*annis in Purgatorio cruciatus fuit, ibi-*  
*dem memoratur fuisse, quòd sibi com-*  
*missorum errata, dum potuit, non cor-*  
*rexit. ita & Regino ad annum 874. Vide*  
*etiam Herm. Contractum ad annū 874.*  
*& sigebertum ad añ. 875.*

XVIII. Quidam etiam Presbyter, nomine Arnulphus, *JAM DIU defunctus*, quia negligenter de animæ salute egerat; gravitatem personæ ejus competentem non servaverat; sæpius otio vacaverat; & quia aliquando in indicto jejunio carnem manducaverat; aliaque similiter interdicta in escâ & potu frequenter usurpaverat, in Purgatorio cruciatus; tandem per S. Rembertum pro eo continuis 40. diebus in solo pane, sale, & aqua jejunantem (ac procul dubio insuper diu noctuq; pro eodem ferventissimè orantem, & quotidie sacrificium mente purissimâ offerentem) est liberatus; ut testatur author vitæ S. Remberti, eidem coævus, cap. 8. Surii, Mabillonii, & continuatorum Bollandi judicio, *vir gravis*; si tamen unicus; quandoquidem Adamus Bremensis cap. 32. scribit, vitam S. Remberti à fratribus Corbeje novæ datam fuisse. Ubinam verò tu, qui multò pejùs, quam Arnulphus

phus ille, vixisti, aliquem S. Remberto similem, tot & tanta pro te facientem invenies?

XIX. Denique quidam Diaconus, pro eo, quod semel pectora cujusdam mulieris, *mente* venialiter duntaxat *malignâ* (exiguam videlicet, eamque non Venream sensualitatem captando) amplexus, eandem culpam præ verecundiâ non fuerat confessus (tam indignus eo tempore censebatur esse, & reverâ est clerico castitatem professus, vel venialis, & non spurcus feminæ tactus; ut is ejus reatum non dico præ nimiâ verecundiâ in confessione sacerdoti celare, sed maximâ cum erubescentiâ confiteri deberet!) Diaconus, inquam, ille pro veniali & nugatorio feminæ tactu per integros 30. dies, ab ingenti dæmonum, horribili cum fremitu eundem insequentium & torque-re volentium, turbâ, timore nimio fuit angustiatus; ac tandem per S. *Baltheram* anachoretam, pro eodem cum



*Alberti*

lachrymis supplicantem est liberatus ;  
 teste Poëta anonymo, Alberti, Eboracensis ab anno 767. usque post 781. Episcopi discipulo, in historiâ de Pontificibus & sanctis Ecclesiæ Eboracensis, circa annum 785. scriptâ ; apud Mabillon. seculo 3. Benedictino, parte 2. pag. 562. & 563. ubi epitheton illud *malignâ*, ratione meriti in significatione non strictâ sed latâ usurpat author ; quandoquidem Diaconus ille peccatum mortale præ verecundiâ non confessus , fuisset in æternum damnatus.

XX. Quàm verò immensus fuerit ejusdem Diaconi tanto tempore timor, horror & tremor, colligi quoque potest ex eo, quòd *B. Maurilius*, Archiepiscopus Rothomag. sub Willielmo I. Anglorum Rege, eâ Galliæ partem tenente, post benè & sanctè actâ vitam naturali morte resolutus ; sed post dimidiam fermè diem, ut visa hominibus intimaret, ad corpus redire jussus ; ex ore comitum Angelorum retulit, se ex præcepto

cepto Dei, dæmonum visione terrificari debuisse; quatenus, inquit, veniales culpa, quas confessione non dilueram, pavore horrendarum formarum purgarentur; moxque ista subjunxit: *Cum dicto ( Angelorum, Deum id præcepisse ferentium ) astitit tanta demonum vis, hastilia acuta vibrantium, ignesque efflantium, ut ager ferreus, aër flammeus videretur: EORUM HORRORE ITA SUM AFFECTUS, ut, si terra dehisceret, si coelum patefceret, tuto mihi utrobique refugiendum non assequerem. Ita meticulosus, dum, quò vadam, dubito; repente ( ut hæc dicens vestra saluti, nisi negligitis, consulere ) halitum recepi, confestim effusus. Dixit; & cum verbo penè spiritum emisit.* ita Malmesbur. lib. 3. de Willielmo I. longè post med. edit. Londin. 1596. fol. 61. pag. 2. Et lib. 1. Conformit. fructu 8. parte 2. refertur, quòd diabolus S. Francisco tam terribilis apparuit, ut is præ timore loquelam amiserit;

quodque idem sanctissimus Pater dixerit: *Nullus diabolum respiciendo posset sustinere dicendo dimidium Pater noster, quin statim moreretur.*

XXI. Quod autem §. XIX. dicitur, non habet hunc sensum, quòd veniale peccatum non confiteri, sit novum veniale peccatum; sicut peccatum mortale non confitendo committitur novum peccatum mortale: sed quòd congrua pro dicto ibidem peccato veniali satisfactio fuerit neglecta; cujus quidem satisfactionis non exigua pars est humilis peccatorum confessio; præsertim si eadem [ ut etiam in quibusdã peccatis venialibus contingit ) erubescientiam habeat adjunctam.

XXII. Si verò in alterâ vitâ vel propter unum gravius Veniale peccatum tâ horribilis poena infligitur; quid mirum est, in plura mortalia, hic nequaquam, ut oportuit, punita, ibidem tam diu tamq; severè, ut hic §. VI. & sequentibus visum est, animadverti?

XXIII.

XXIII. Sacerdos igitur *solerter ac studiosè*, juxta doctrinam Guillermi, in principio hujus capituli, & secundùm Regulam 7. capite 2. art. 2. allatam, non agens, ut confitens pœnam convenientem, vel ab eo dictatam suscipiat; vel saltem [quò eandem per media oportuna redimere possit] agnoscat; sed eundem per blandam indulgentiam suam ad horribilia ac diuturna Purgatorii tormenta [ne quid de gehennâ loquar] deducens, non malè à Magistro hic §. 4. nec non à *Jacobo de vitriaco*, & *B. Petro Damiani*, supra cap. 2. art. 1. §. 15. & 17. citatis, dicitur *indiscretus*; & à Guillermo, hic §. 3. *manifestè iniquus atque infidelis iudex*: indiscretus, inquam, non erga confitentem duntaxat, sed etiam erga se ipsum; quia per hoc ipse prior, ut c. 2. art. 1. §. 13. visum est, in foveam horribilium pœnarum cadit.

XXIV. Et homo sacerdotem quærens, qui sibi pro peccatis gravibus

levissimam pœnitentiam injungat, est utique *indiscretus*, inhumanus, atque immitis & erga sacerdotem, quem secum in pœnas acerbissimas trahit, vel potius protrudit; & erga se ipsum: Quandoquidem, dum aliquot pœnitentialis myrrhæ saluberrimas & discretissimas doses, propter exiguam & brevem quandam amaritudinem, mox in jucundissimam dulcedinem convertendam pueriliter horret, res suas ita disponit, ut post hujus vitæ momentum, innumeros horrendorum ignium globos in Purgatorio habiturus sit devorandos.

XXV. *Confessionem debet semper comitari myrrha, & thus; id est, mortificatio carnis & oratio spiritus: Alterum sine altero aut parum, aut nihil prodest... Utrumque alteri suffragatur; dum constat, quod alterum sine altero reprobatur.* ita docet S. BERNARDUS serm. 91. de diversis.

XXVI. Et serm. 55. in Cant. *S*

nos-

nosmetipsos, inquit, dijudicaverimus, non utique iudicabimur. Bonum iudicium, quod me illi districto Divinoque iudicio subducit & abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis. Volo vultui iræ iudicatus presentari, non iudicandus. . . iudicabo proinde mala mea; iudicabo & bona: Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lachrymis, punire jejuniis, cæterisque sanctæ laboribus disciplina: in bonis de me humiliter sentiam; & juxta præceptum Domini servum me inutilem reputabo; quia, quod facere debui, tantum feci. i. e. quod feci, facere debui; immò & multò plura.

XXVII. Verùm, ut idem sanctus ferm. 40. de diversis ait, illam [ satisfactio- nis ] hostiam singulariter accipit Altissimus, qua non est de propria sententiâ voluntatis, sed de præcipientis (sacerdotis) offertur imperio.

XXVIII. Et S. Gregorius (vel certè alius quidam Religiosissimus & sapien-

H 6

tissimus

tissimus author, ad duo fermè secula sub nomine S. Gregorii passim laudatus, totiusque Ecclesiæ iudicio probatus. Ad illa libri 1. Regum. c. 7. *Haueruntque aquam, &c.* libro suo 3. c. 5. *Dum mens, inquit, flendo compungitur, necesse est, ut etiam caro, quæ delectationibus subjacuit, affligatur ... Quæ tamen afflictio pœnitentiæ, ad delenda peccata TUNC DEMUM IDONEA EST, CUM SACERDOTIS FUERIT JUDICIO IMPERATA; cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.*

XXIX. *Cum enim, inquit D. Thomas, satisfactio à sacerdote injuncta sit pars [ Sacramenti ] Pœnitentiæ; manifestum est, quòd operetur vi clavium; ita quòd amplius valet ad expiandum peccatum, quàm si proprio arbitrio homo faceret idem opus. ita ille Quodlibeto 3. qu. 28.*

XXX. Unde Catechismus Rom. de Pœnit.

Pœnit. Sacram. c. 10. docet, cuius  
*maximo studio curandum esse, ut eum  
 sibi sacerdotem deligat, qui (inter alia  
 in eodem requisita) optimè norit, quæ  
 cuique sceleri pœna conveniat.*

XXXI. Immò ex his omnibus ma-  
 nifestum est, quòd confitens *non in-  
 discretus* meritò debèret sacerdotem  
*indiscretum*, qui pœnitentiam nimis  
 parvam injungit (ut olim pœnitentes,  
 supra c. 2. art. 2. Regula xi. laudati, &  
 infra c. 8. art. 1. §. 6. & 7. laudandi fa-  
 ciebant) rogare, ut injungeret aliam  
 suis viribus & sceleribus convenien-  
 tem. *Quod si nos ipsos [secundùm  
 Ecclesiæ judicium] dijudicaremus,  
 non utique judicaremur, inquit Apost.  
 1. cor. xi. v. 31.*

XXXII. *Judicet ergo se ipsum  
 [homo] & cum ipse in se protulerit  
 severissimæ medicinæ; sed tamen medi-  
 cinæ, sententiam; veniat & à Præpositis  
 Sacramentorum accipiat satisfactionis  
 suæ modum, inquit S. August. homilia*



50. cap. 4. Hunc, inquam, accipiat, & magnâ cum sollicitudine expleat ; atque hanc Cardinalis Cajetani sententiam suo cordi inscribat ; *Qui in hac vitâ defunctos oblivioni dant, satisfacereque pro propriis peccatis negligunt; & ita justi sunt, ut vix cum gratiâ discedant; alienos à fructu omnium suffragiorum ibi crediderim ; quamvis multa pro eis hic fiant ; Divinâ ulciscente justitiâ hujusmodi duritiam cordis atque incuriam ( & suffragia pro eisdem facta, non pro ipsis, sed pro aliis, qui magis digni sunt, acceptante ) Vide Cajetanum tom. I. opusculorum, Tract. 16. de indulgentiis, quæst. 5. Et speculum Vitæ S. Francisci, anno 1509. Metis impressum, fol. 221. pag. 2.*

Ubi refertur, quòd quidam frater Minor, qui negligens fuerat in persolvendo officio pro fratribus defunctis, socio suo post mortem apparens dixerit, se in pœnis maximis esse ; atque ob dictam nunc negligentiam omnia pro se

se facta Missarum & Officiorum suffragia non sibi, sed aliis defunctis fratribus applicante Domino pro fuisse.

---

## CAPUT IV.

*Tantò unusquisque abstinere debet à licitis, quantò se meminisse & illicita perpetrasse.*

I. **H**Æc equidem de dignis pœnitentiæ fructibus & operibus faciendis regula generalis, & olim sollicitè inculcata fuit, & nunc quoque omnino tenenda est: Nam S. GREG. homil. 20. in Evang. ut, inquit, secundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur; sciendum est; quia quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur, ut licitis (sui corporis commoditatibus & recreationibus) utatur; sicque pietatis opera faciat, ut tamen, si voluerit, ea, quæ mundi sunt, non relinquat: *At*

*At*

184 *Alicitis abstineat, qui illic. perp.*  
*At si quis in fornicationis culpam; aut*  
*fortasse, quod est gravius, in adulterium*  
*lapsus est; TANTO A SE LICITA*  
*DEBET ABSCINDERE, QUAN-*  
*TO SE MEMINIT ET ILLICITA*  
*PERPETRASSE. Et in Pastoralis,*  
*parte 3. Admonit. 31. Qui per illicita*  
*diffluendo cecidimus, etiam alicitis nos*  
*restringendo surgamus. Rursus homil.*  
*34. in Evang. post med. COGITAN-*  
*DVM SUMMOPERE EST, ut, qui*  
*se illicita meminisse commississe à quibusdā*  
*etiam illicitis studeat abstinere; quate-*  
*nus per hoc conditori suo satisfaciatur; ut,*  
*qui commisit prohibita, sibi et ipsi ab-*  
*scindere debeat etiam concessa; & se*  
*REPREHENDAT in minimis, qui*  
*se meminit in maximis deliquisse. At-*  
*que hoc ipsum exemplo Davidis pro-*  
*bans, qui quondam, inquit, concupis-*  
*cere alienam conjugem nequaquam ti-*  
*muit, post etiam (2. Reg. 23. v. 15. 16. &*  
*17.) quia aquam concupisset, expavit:*  
*Quia enim se illicita perpetrasse memi-*  
*nerat,*

nerat, contra semet ipsum jam rigidus,  
etiam à licitis & abstinerebat: in sacrifi-  
cium quippe Domini aqua conversa est;  
quia culpam concupiscentia reatavit  
per pœnitentiam reprehensionis sue.

II. S. SIDONIUS APOLLINA-  
RIS, defunctâ uxore suâ, Imperatoris  
AVITI filiâ, ab anno circiter 472.  
ad 482. Episcopus Arvernensis, sive  
Claremontanus in Galliâ, lib. 9. epist.  
6. de quodam, qui ancillam suam, quâ  
aliquamdiu fuerat abusus, tandē duxe-  
rat in uxorem, Filio inquit, uno alterove  
susceptis ( & nimis dixi ) abstinere  
de cetero licitis, qui illicita presumpserit.

III. S. ELIGIUS, singularis  
Dagoberti I. Francorum Regis ami-  
cus, & ab anno 646. ad diem 2. De-  
cemb. anni 665. Episcopus Novio-  
mensis, homil. 9. prope finem: Quia,  
fratres mei, multa illicita commisistis,  
debetis abstinere à licitis: Licitum est  
enim homini manducare carnes & bi-  
bere vinum, & cetera necessaria cor-  
pori;

186 *Alicitis absteineat, qui illic. perp.  
pori; qua non ad saturitatem pœniten-  
tes debent sumere, sed cum sustentatione  
corporis; ut, qua ventri subtrahunt,  
erogent pauperibus.*

IV. Concilium Nationale Anglica-  
num, Cloveshoviæ anno 747. cele-  
bratum, can. 26. *Quantò magis illicita  
perpetravit ( pœnitens ) TANTO  
MAGIS à licitis se abstinere debet: Et  
quantò majora mala fecit, tantò majores  
fructus bonorum operum exhibere  
DEO debet.*

V. Idem omnino docent, JONAS  
AURELIANENSIS ( cap. 2. art.  
1 §. 18. laudatus ) de institutione laicali,  
lib. 1. c. 9 HINC MARUS, ab anno  
845. ad 882. Archiep. Rhem. opusc. 2.  
de cavendis vitiis, & virtutibus exer-  
cendis cap. 3. NICOLAUS I. ab  
anno 858. 25. Mart. usque ad annum  
867. 12. Nov. Pont. Max. in Resp.  
ad Consulta Bulgarorum, cap. 4. ait,  
*idessè secundum sacra Decretalia. im-  
mò* [ ut supra cap. 2. art. 1. §. 17.  
in

in fine jam visum est ) idipsum vel ipsa.  
Ratio magistra docet.

VI. *Pœnitentia vera exterior*, inquit B. ALB. M. est abstinencia à licitis, cum de illicitis venia postuletur. in Paradiso animæ cap. 41. Et D. Thomas in 4. dist. 15. qu. 3. art. 1. in solutione: *Qui illicita commisit, oportet etiam à licitis abstinere.*

VII. Dum verò à licitis ( videlicet commoditatibus & recreationibus tui corporis ) abstines, non debes in austeritate illa confidere; sed juxta S. Gregorium, hic loco 3. citatum, te reprehendere, velut omni corporis commodo & recreatione indignum. Quâ de re vide etiam infra, c. 8<sup>to</sup> §. 4. in fine. *f. ar. 2.*



## CAPUT V.

*De satisfactione, carnis afflictivâ,  
olim per ipsa adeo verbera, à maxi-  
mis quoque Principibus, nobilif-  
simisque Matronis inhianter  
expetitâ.*

I. **S.** GREG. Nazianz. Orat. 18.  
**S.** circa med. de S. Justinâ virgine  
& M. agens, jejunii, inquit, & cha-  
meunia (i.e. humicubationis) pharmaco  
se se communit; ut per sui afflictionem  
propitium sibi Deum & exorabilem  
redderet: NEQUE ENIM DEUS  
ULLA RE PERINDE, ATQUE  
CORPORIS ÆRUMNA CONCI-  
LIATUR. Hinc filiis Israël Levit.  
16. v. 29. & 31. Rursus cap. 23. v. 27. 29.  
& 32. item Num. 29. v. 7. præcepit, ut  
in die expiationis, propitiationis &  
emundationis à peccatis affligerent  
ani-

animas suas , i. e. sui corporis sensus.  
*Affligetis animas vestras . . . ut propi-*  
*tietur vobis Dominus Deus vester,* inquit  
 Scriptura Levit. 23. v. 27. & 28. Nec  
 minus in novo Testamento ad emun-  
 dationem à peccatis , propriæ carnis  
 afflictionem à Christianis requirit De-  
 us ; quandoquidem per B. Jacobum c.  
 4. v. 8. & 9. clamat : *Emundate manus*  
*peccatores; & purificate corda duplices*  
*animo : MISERI ESTOTE ( i. e.*  
*AFFLIGIMINI; vel AFFLIGITE*  
*ANIMAS VESTRAS ) & lugete &*  
*plorate: Rissus vester in luctum conver-*  
*tatur, & gaudium in moerorem.* Quan-  
 tum verò propriæ carnis afflictio pla-  
 ceat Deo. 1. Esdræ 8. v. 21. & 23. nec  
 non Dan. 10. v. 2. 3. & 12. licet videre.

II. Quod etiam cilicium olim affli-  
 ctionis causa fuerit assumptum , patet  
 ex lib. 4. Reg. cap. 6. v. 30. Quando-  
 quidem Rex Joram, Syris obsidentibus  
 Samariam , sub vestibus ordinariis ad  
*carne[m] intrinsecus cilicio orat vesti-*  
*bus;*



190 *Carnis afflictione placatur Deus.*  
tus; ex communi procul dubio fidelium usu. *Cilicii usus*, inquit S. Basilus M. in Regulis brevioribus, interrogatione 90. *non ad necessitates corporis comparatus est; sed ad macerationem animi & afflictionem;* quatenus videlicet animus corpori vegetationem & sensum præstat.

*Cilicio carnes conteret (peccator) ac favilla & cinere sordidabit; ut molli-  
tatem videlicet præterita voluptatis præ-  
sentium asperitatum dura compensent,  
& reatum longarum deliciarum officio  
patrocinantis solvat injuria*, inquit S. SALVIANUS, infra c. 8. art. 4. §. 8. laudandus. Et S. RURICIUS senior, sub finem seculi 5. Episcopus Lemovicensis, l. 2. epist. 20. cilicium *Ecclesie vestimentum* appellat; ob frequentissimum videlicet ejusdem usum.

III. Quamobrem verò homines se-  
metipsos jejunio & cilicio affligentes  
ita Altissimo placent, ut eum per Fili-  
um ejusdem placent? nisi, quòd, sicut  
ob

ob sua in Deum peccata se se omni in-  
commodo & afflictione dignissimos  
credunt ; ita quoque affligi non tan-  
tùm ab aliis , sed etiam à semetipsis  
volunt. Deus, inquam, opt. Max. cum  
sit Bonitas ipsa , *non pascitur cruciati-  
bus nostris* ; sive non delectatur affli-  
ctione nostra , quatenus ea simpliciter  
pœna & afflictio est ; sed in quantum  
juxta S. Scripturam, 3. Reg. 21. *ψ. 29. 2.*  
*Paral. 12. ψ. 7.* Judith 4. *ψ. 8.* & cap. 8.  
*ψ. 16.* Esther. 14. *ψ. 2.* Psal. 34. *ψ. 13.* Jac.  
4. *ψ. 10.* & alibi, est vera, practica, justa,  
& fortis nostri ipsorum *humiliatio* ;  
sive in quantum humilitas, justitia, &  
heroica fortitudo in eadem relucet :  
Et quatenus nosmetipsos non tantùm  
speculativè, sed etiam practicè & exe-  
cutivè dijudicamus, reprehendimus, &  
vilificamus ; sententiam, quâ nos dig-  
nissimos esse agnoscimus , ipsimet con-  
tra nos exequentes ; injuriasque &  
contumelias Deo illatas in nos justè &  
fortiter vindicantes; nec tamen in affli-  
ctione

192 *Carnis afflictione placatur Deus.*

Etione & austeritate illa, sed in sola Dei misericordia per amarissimam Christi Passionem & mortem confisi : Quo tandem pacto nobis plenissimam Christi satisfactionem plenariè applicamus.

IV. Quid autem interest, utrùm afflictio, humiliatio & vilificatio sui ipsius per cilicii, vel per verberū asperitatem fiat? Cur non placeat Deo, quòd quis in se ipsum, *velut in atrocissimo crimine deprehensum*, pro eodem Altissimo rigidam (discretam tamen) exerceat vindictam; quocunque id modo fiat? Certè *vesanum & absurdum est credere*, inquit B. Petrus Damiani lib. 5. epist. 8. ad Clericos Florentinos, *illud penitentiæ genus Dominum in afflictione nostra despicere, quod in semetipso dignatus est pro nostra salute perferre.* Et nunquid caro nostra, quæ, ceu contumax bestia, contra spiritum, immò & contra Deū ipsum concupivit, & petulanter recalcitravit; ac recalcitratione sua ipsimet  
Dei

Dei Filio durissima causavit flagella, benè merita fuit, ut tanquam petulcus tractetur asellus ? *Vetus ille Adam*, inquit **FORMULA CONCORDIÆ Protestantium**, in Declaratione, art. 6. de tertio usu Legis, §. penult. **QUASI ASINUS indomitus & contumax**, est adhuc etiam pars magna reatorum; quæ non modo Legis doctrina, exhortationibus, impulsu, & comminationibus; verùm etiam, quasi fuste, plagis & pœnis coercenda in obedientiam Christi cogenda est. Si autem hoc Deo placet; cur eidem displiceat, quòd quis carnem suam ( in qua & per quam *vetus ille Adam quasi asinus contumax est* ) etiam eò quòd jugum Domini recalitrando excussit, percutiat atque flagellet ?

V. Et hæc quidem pro correctione eorum, qui disciplinas irrident, paucis sint dicta : Qui etiam noverint, quòd Monachi & alii disciplinis se affligentes, Pharisæicam, Christi que meritis &

194 *Per disciplinas placatur Deus.*

Sacramentis injuriosam, atque sub necessitate salutis assertam suimet percussione, in *Flagellantibus*, anno 1349. à Clemente VI. damnatis, ad Tartara relegent; & non nisi de merito Passionis Christi præsumant; uti in *Via Pacis* per ingentem testium nubem est demonstratum.

VI. Porro; quàm strenuè olim satisfactio carnis afflictiva, etiam per disciplinarum verbera fuerit exercita, ex sequentibus licet colligere: Nam HENRICUS 3. ab anno 1039 ad 1056. ROMANORUM IMPERATOR AUGUSTUS, *considerans nominis Majestatem longè suis præcellere meritis, nunquam insignia Regalia sibi præsumpsit imponere* (adeoque multò minus Dominum Deum suum in Sacramento suscipere) *nisi CLAM per confessionis ac pœnitentiæ; VERBERUM IN SUPER SATISFACTIONEM, licentiam sibi à quolibet sacerdotũ suppliciter mereretur.* Et cum in quadam  
solem-

solemnitate S. Annonem Archiep. Colon. *supplex & pœnitens* adiisset, mox sacer antistes *authoritate plenus*, sicut parcere solitus erat inopi & pauperi, sic *opportunitatem adeptus*, misericors sine misericordia, se vire coepit in Principem: Nam & *vehementissimis eum invadens correctionibus*, quicquid animo pro *justitia concitato se obtulit*, liberè & *constanter effabatur*; illumque DURISSIMIS VERBERUM PLAGIS (per proprias ejusdem manus) AFFILICTUM non aliter eo die coronatum *incedere consensit*, quam prius MANIBUS SUIS *triginta tres argenti libras in pauperes expendisset*. ita testatur anonymus quidam Monachus Sigebergensis, S. Annoni coævus, in ejusdem vitâ jussu Reginardi Abbatis scriptâ, lib. 1. cap. 6. apud surium die 4. Decemb.

VII. HENRICUS 2. REX ANGLIÆ ET FRANCIÆ, eò quòd de S. Thomâ Archiep. Cantuariensi

196 *Per disciplinas placatur Deus.*

animo commotiore conquerendo ,  
ejusdem neci, anno 1171. ( a ) præter &  
contra voluntatem suam factæ , occa-  
sionem præbuerat ; quamvis [ b ] trien-  
nio elapso gauderet & speraret se pœni-  
tentiam egisse ; tamen adhuc anno 1174,  
pœnitentiæ causâ ex Galliâ in Angli-  
am navigavit, & Cantuariam adiit [ c ]  
& ex quo Ecclesiam videre potuit, in qua  
corpus B. Martyris sepultum est, equum  
in quo sedebat, deseruit, & extractis cal-  
ceamentis nudus pedes, & in pannis la-  
neis per tria milliaria profectus est ; Et  
( d ) nudis pedibus, totoque nudato corpo-  
re , præterquam vili quadam tunica  
super nudo amictus , palam in omnium  
conspectu civitatem intravit ; & per  
vicos & plateas civitatis luteas, tanquam  
de plebeis vilissimis, sic incessit : Et ita  
suspitiis & gemitibus , tot gentibus &  
nationibus tremendus , ipse timens &  
tremens Martyris adiit sepulchrum ;  
ubi ( e ) veste se nudans, caput in tumuli  
fenestram magnâ humilitate submisit ;

pri-

primoque ab Episcopis quinquies castus  
 est; deinde a Monachis amplius octogin-  
 ta ternos accepit ictus; (f) voluntate  
 spontaneâ verberatus. ita testantur (a)  
 Petrus Blesensis, epist. 66. ad Archiep.  
 Panormit. (b) Heribertus de Bosham,  
 qui S. Thomæ ab epistolis fuit, & ætui  
 nunc relato præsens adfuit l. 3. Qua-  
 dripartitæ. (c) Rogerius ab Hoveden,  
 qui inter Henrici 2. domesticos fuit, ad  
 annum 1174 (d) Rursum Herib. de  
 Bosham loco cit. [e] Eduardus Can-  
 tuariensis, ord. S. Bened. & S. Thomæ  
 familiaris, in ejus vitâ; Et (f) Gerva-  
 sius, circa annum 1200. Monachus  
 Dorobernensis.

VIII. S. LUDOVICUS, ab anno  
 1226. usque ad 1270. Christianissimus  
 Galliarum Rex, post confessionem  
 (quam singulis feriis sextis faciebat)  
 à Confessore suo disciplinam semper re-  
 cipiebat cum 5. catenulis ferreis simili-  
 ter junctis Si quando Confessor nimis  
 remissos ictus, ut sibi videbatur, ei da-  
 bat,



198 *Per disciplinas placatur Deus.*

*bat, quòd fortius percuteret, ipse per signum aliquod innuebat. ita Gaufridus de bello loco, ejusdem Confessarius, cap. 16. vitæ.*

IX. Et B. Petrus Damiani, Opusc. 50. c. 14. refert, quòd illis temporibus faciendæ disciplinæ mos adeo inoleverit; *ut non modo viri, sed & NOBILES MULIERES hoc Purgatorij genus INHIANTER ARRIPERENT*: Additque; *relictam Thetibaldi, sublimis utique generis, & non infimæ dignitatis, per præfixam hujus disciplina regulam, CENTUM ANNORUM pœnitentiam peregisse*: Nimirum tribus verberum millibus in annos singulos computatis; ut idem opusc. 14. & 51. testatur: adeo, ut sublimis illa Domina sibi met trecenta plagarum & verberum millia, pro jejuniorum imperfectione ( elemosynarum lege salvâ ) inflixerit. Ponderent hæc ætatis nostræ heroës; seque ad decertandum & laborandum  
pro

pro salute suâ minus animi habere ,  
quàm olim veltenerimæ habuerunt  
mulieres, ingemiscant.

X. Cæterum disciplinarum verbera  
non nisi volentibus sacerdotes injun-  
gent: illa, qui nolunt, Cænobitis relin-  
quant; quibus eadem eleëmofynarum  
loco rectè injungi probat B. Petrus  
Damiani l. 5. ep. 8. ad Clericos Florenti-  
nos; ubi inter alia post mediū ita fatur:  
*Cum sacerdotes Ecclesie annosam indi-  
cunt quibusdam peccatoribus pœniten-  
tiam, nunquid non aliquando certam  
pecunie præfigunt pro annorum redēp-  
tione mensuram; ut nimirum facinora  
sua eleëmofynis redimant, qui longa je-  
junia perhorrescunt? Quod si laicis hoc  
indulgetur, ut peccata sua eleëmofynis  
redimant; ne surrepente mortis arti-  
culo ex vitâ sine reatus sui, quod absit,  
absolutione recedant; quid Monacho  
precipiendum erit, qui & longam for-  
te pœnitentiam peccatis exigentibus ac-  
cipit, & pecunias olim, quibus redima-*

200 *Per disciplinas placatur Deus.*  
*tur, abiecit? Nunquid, si sua fragilitatis intuitu peccatum redimi nummorum summâ precipitur, pro peccato, carnis afflictio merito respicietur?*

---

## CAPUT VI.

*De satisfactione convenienti  
ob indulgentias non  
negligendâ.*

I. **S**ILVESTER PRIERAS, sacri Palatii Apost. Magister, ac tandem totius ord. Præd. Prior Generalis, in summâ suâ, añ. 1513. Leoni x. dedicatâ, verbo, *indulgentia*, quæst. 9. *Propter indulgentias, inquit, cessandum non est in hac vitâ ab operibus pœnitentia, secundum S. Thomam &* COMMUNITER OMNES DOCTORES.

II. D. THOMAS in 4. dist. 20. quæst. unicâ, art. 3. ad 4. *Consulendum est*

est eis, qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant ; ut etiam ex his remedium consequantur ; quamvis à debito pœnæ essent immunes : Et præcipue, quia quandoque sunt plurimum debitores, quam credant.

III. GUILLERMUS Paris. in Tract. de Sacram. ordinis, c. antepenult. Certum est ; neminem debere propter indulgentias cessare ab agenda pœnitentiâ, ne committat se periculo ; & inestimabilem acerbitatem ignis Purgatorij incurrat negligentia suâ agendi pœnitentiâ suam ; qua, quantumcunque aspera sit, levissima tamen est comparatione acerbitatis illius ignis . . . Quia ergo viri sancti & iusti semper timorati sunt ; manifestum est, nullum virum sanctum & iustum ex indulgentiis impœnalitatem præsumere.

IV. SUMMULA de summa S. Raymundi de Pennafort, Pœnitentiarii Apost. extracta, de Indulgentiis sic canit:

I 5

Nulli

*Nulli propter eas audacia detur, ut  
harum*

*Spe pondus ponat, seniores quod sta-  
tuerunt.*

*Hæ redimunt pœnas in eo, QUI  
NIL VALET ULTRA.*

V. Unde & summi Pontifices in jubileis, quando ipsimet trium dierum jejunium, eleëmolyam, visitationes Ecclesiarum, adeoque orationem frequentem præscribunt; nec non Confessariis amplissimam ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus & delictis, quantumcunque gravibus & enormibus, peccatores absolvendi facultatem concedunt; hanc nihilominus clausulam semper adjungunt: *injuncta tamen iis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari*: Neque enim Domino Deo, *dignos pœnitentia fructus*, Luc. 3. v. 8. *sive digna pœnitentia opera*, Act. 26. v. 20 exigenti ejusdem Vicarii, Pontifices summi aut possunt, aut volunt præjudicare;

re; vel, ut S. Cyprianus epist. 17. 22. 25. 26. & 52. loquitur, *contra Dominicam legem, contra Evangelium; contra Evangelii vigorem; contra Evangelii disciplinam facere; aut censuram Evangelicam solvere*: sed eorum duntaxat hominum, qui digna pœnitentiæ opera facere pro suo modulo conantur, vel facere libenter vellent; sed non possunt: Horum, inquam, impotentia, infirmitati, & imperfecti, accedente justa & rationabili causa, ex Ecclesiæ thesauro, Dei omnipotentis authoritate succurrunt.

VI. *Si precem toto corde quis faciat, inquit S. Cyprianus l. de lapsis propè finem; si veris pœnitentiæ lamentationibus ingemiscat; si ad veniam delicti sui Dominum justis & continuis (misericordiæ) operibus inflectat; misereri talem potest: Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere; potest in acceptum referre, quicquid pro talibus & petierint Martyres, & FECERINT*

204 *Ob indulgentias non negligatur.*

**SACERDOTES**, i. e. Episcopi, de thesauro Ecclesie *Talium* deficientiam supplentes. Igitur quicquid pro *non talibus* in hac causa fecerint sacerdotes, quantumcunque magni, Deus propter justitiam suam non potest juxta sanctissimi Martyris Cypriani, approbatam à pluribus Africæ Conciliis doctrinam, in acceptum referre. Unde & *pacem*, i. e. Absolutionem & indulgentiam, quam quidam Episcopi hominibus in persecutione Decii vi tormentorum lapsis, & digna ac convenientia pœnitentiæ opera non facientibus, ad petitionem Martyrum in carceribus detentorum, consummato eorundem martyrio dabant, idem sanctissimus Martyr, l. de lapsis ante medium, vocat *irritam & falsam pacem; periculosam dantibus, & NIHIL ACCIPIENTIBUS PROFUTURAM.* Et Clerus Romanus in epist. ad eundem, sede Apostolica vacante, data [quæ est inter Cyprianicas 30.] *Abst,*  
in-

inquit, ab Ecclesia Romana, vigorem suum tam PROFANA FACILITATE dimittere; et nervos severitatis, eversa fidei majestate dissolvere... ut properata nimis remedia communicationum, UTIQUE NON PROFUTURA, prestentur. Hæc illi vel in ipso persecutionis fervore.

VII. Ad hæc; JOANNES PRÆPOSITUS, è Soc. J. celeberrimus SS. Theol. Doctor atque Professor, añ. 1634. defunctus, in supplementum 3. partis D. Thomæ commentans, de Indulgentiis, quæst. 14. Dubio 8. cum Bellarmino, Soto, Suarezio, & aliis docet, ad indulgentiarum valorem adeo requiri causam proportionatam; ut ea deficiente, indulgentia, quoad excessum, sit irrita: Quia creditor, cujus nomine ex causa debitum relaxatur, non videtur habere ratam relaxationem ingentis debiti pro minima causa; cum nullo modo videatur hujusmodi profusio approbanda: sed executio relaxationis debet per



Deum fieri, qui nolit punire propter remissionem à suo Vicario factam; qui, cum possit optime nosse improprietatem cause, retinet jus ad puniendum, quamvis ejus Vicarius bona fide putet causam esse proportionatam.

VIII. Confirmatur. Pontifex concedendo indulgentias dispensat in jure Divino; cum relaxet satisfactionem jure divino debitam. Ergo debet habere causam indulgentia proportionatam; nec potest pro suo arbitrio valide dispensare.

IX. Confirmatur. Quia Clemens 6. Extravagante, unigenitus [ l. 5. tit. 9. cap. 2. ] docet, Christum commisisse suo Vicario thesaurum (meritorum suorum) dispensandum; & PROPRIIS ET RATIONABILIBUS CAUSIS, nunc pro totale, nunc pro partiali remissione pœne temporalis applicandū. Et MARTINUS 5. in fine Concilij Constantiësis dicit: Ex causa pia & JUSTA: Non potest autem causa dici JUSTA, quæ nō est proportionata remissioni pœne

X. Rursus, cap. *Cum ex eo*. De pœnitentiis & remissionib. (l. 5. Decretal. Tit. 38. cap. 14.) dicit Pontifex, *per indiscretas indulgentias atque superfluas, claves Ecclesie contemni, & pœnitentialem satisfactionem enervari*. Cumque hoc ipsum fieri nolit Altissimus; rectè concludit PRÆPOSITUS, ejusmodi indulgentias non valere. *Quam sententiam & Hadrianus 6. Pontifex, in Quartum efficacissimis rationibus confirmat*; inquit Petrus, à Soto, l. de institut. sacerdot. lect. 2. de indulgentiis.

XI. Additque PRÆPOSITUS; quosdam non improbabiler censere, Pontificem, concedendo indulgentias PLENARIAS, velle id totum concedere, quod potest intra illum terminum, juxta causa proportionē: concedendo indulgentias v. gr. centū dierū velle id totū concedere, quod potest intra illum terminum juxta causa proportionem, ut nullo erroris & imprudentia periculo se exponat, juxta quam explicationem patet, indul-

indul-

208 *Ob indulgentias non negligatur.*

*indulgentiam ex piâ causâ concessam  
semper esse validam, quoad aliquam  
saltem partem pœnarum relaxandam:*  
LICET NON SEMPER SIT VA-  
LIDA QUOAD TOTAM, PRO-  
UT VERBA VIDENTUR SO-  
NARE.

XII. Ad id verò, quod communiter  
dicitur indulgentias tantum valere,  
quantum sonant; respondet *Præpositus*,  
hoc debere intelligi; *si adsint omnia re-  
quisita; inter quæ est proportio causæ:*  
*Quæ si non adsit, valebit quidem indul-  
gentia ad remissionem pœnæ correspon-  
dentem causæ; NON TAMEN QUO-  
AD EXCESSUM.* Et videtur, inquit,  
esse tacita *Papæ voluntas, ut, si per tale  
opus, cum habitudine ad meritum, non  
possit obtineri remissio tota pœnæ; ea sal-  
tem obtineatur, quæ potest obtineri.* Hac  
omnia *Præpositus*.

XIII. STEPHANUS BRULE-  
FFER, sub finem seculi 15. præstantis-  
simus ord. FF. Min. de observ. Theo-  
logus,

logus, in 4. dist. 21. qu. 8. *Dispensatio*, inquit, *bonorum Ecclesie* [ per indulgentias ] *discretè, & cum moderamine facienda est; alioquin Deus non acceptat: Et bona spiritualia non possunt dissipari, nec contra Divinam acceptationem distribui; Nimirum sicut bona temporalia dispensari & dissipari possunt contra Legem Dei, & Domini proprii voluntatem.*

XIV. JACOBUS DE VITRIACO, supra c. 2. art. 1. §. 15. laudatus, Dom. in Albis, serm. 3. de Evang. *Quoscunque*, inquit, *Petri successores absolvunt secundum meritum vite eorum & discretè, absolvit Deus in cælis: si autem indiscretè absolvunt; ignorans ignorabitur (2. cor. 14. v. 38.) Et teste Salomone (Prov. 14. v. 35) acceptus est Regi minister intelligens, &c. Hujusmodi enim relaxationes & indulgentie EX CAUSA DEBITA, DISCRETE & non passim debent fieri; & tunc prosunt credentibus & confidentibus in illis,*

SE-

SECUNDVM DEVOTIONEM  
 ILLORVM, ET SVBSIDI QVAN-  
 TITATEM ; quando offerunt sine  
 fraude, bonâ scilicet fide, unusquisque  
 SECUNDVM PROPRIAM FA-  
 CVLTATEM : Non enim tantum  
 relaxatur diviti avaro, qui offert  
 unum denarium, quantum pauperi  
 devoto. Additque sapientissimus ille  
 Cardinalis, quòd oporteat cum debita  
 estimatione offerre; ut cogitet offerens in  
 suo animo, quantum prius vellet dedisse  
 pro habenda huiusmodi relaxatione.  
 item, plerumque, inquit, accidit, quòd,  
 qui offert ad fabricam Ecclesie, licet  
 in foro Prælati sui absolutus sit à tertia  
 parte pœnitentia, sicut expressum est in  
 literis indulgentia, non tamen penitus  
 absolvitur a tanta parte: In purgatorio  
 tamen diminuitur eius pœna. Hac  
 ille.

XV. S. BONAVENTVRA in 4.  
 dist. 20. qua st. ult. Quòd ille, inquit,  
 qui mille peccata commisit, pro tribus  
 obolis

*obolis vel denariis* (ad fabricam Ecclesie per indulgentiarum literas determinata datis) *sit liberatus* (ab omni debito poenae) *non tantum falsum, sed IRRISIONE DIGNVM JVDICAT OMNIS ANIMA RECTA.* Et in fine quaest. ejusd. ille, qui dat indulgentias, cum eas tribuit, considerat (et debet considerare) *causam*, pro qua reputat eum (cui easdem dat) *dignum tantam gratia*: Et secundum quod plus vel minus accedunt homines ad illam causam, plus vel minus participant de indulgentia... Concedo igitur, quod indulgentia, quantum est ex potestate dantis, tantum valent, quantum promittunt. Concedo nihilominus, quod non cuilibet valent tantum, nec equaliter omnibus; sed secundum estimationem ejus, quam habuit, **VEL HABERE DEBVIT**, qui indulgentiam fecit.

**XVI. DIONYSIVS CARTHVS.**

in 4. dist. 20. qu. 3. *Cum datur indulgentia indeterminate; ut, qui dat auxilium*

*lium*

212. *Ob indulgentias non negligatur.*

*lium ad fabricam Ecclesie, intelligendū est de auxilio congruente ei, qui dat: Et secundū quod accedit ad hoc, secundū hoc plus aut minus de indulgentiis obtinet: unde pauper dans unum solum denarium consequitur indulgentiam totam; non autem dives. Idemque omnino dicendū est de subsidio infideles, & eleēmosyna in Jubilæis præscripta.*

*†*  
*contra* XVII BONIFACIUS 8. anno 1300. concedens indulgentiam plenissimam iis, qui centesimo quoque anno Romæ visitaverint Basilicas. Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, si fuerint, inquit, Romani, ad minus triginta diebus continuis, seu interpolatis, & saltem semel in die; si verò peregrini fuerint aut forenses, simili modo diebus quindecim ad Basilicas easdem accedant. Unusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam EFFICACIUS consequetur, qui Basilicas ipsas AMPLIUS ET DEVOTIVS frequentabit. Extravagante, Antiquorum. De pœnit. &

& remiss. l. 5. Extravagantium commu-  
nium. Tit. 9. c. 1.

XVIII. Ex his verò patet 1. quòd,  
quando Pontifex ex *juxtâ* & propor-  
tionatâ causâ plenarias indulgentias  
concessit, easdem non omnes [ qui  
opera præscripta etiam *utcumque* devo-  
tè fecerunt) plenariè; sed alii aliis, pro-  
mensura devotionis, *efficaciùs* lucren-  
tur: Quandoquidem eo, qui plenarias  
indulgentias plenariè est consecutus,  
nemo easdè *efficaciùs* consequi potest.

XIX. Patet 2. quòd, quando causa  
plenarias indulgentias concedendi,  
coram Deo satis *justa* & proportiona-  
ta non fuit; nec ille quidem, qui opera  
præscripta devotissimè peregit, plenam  
pœnatû omnium remissionē obtineat.

XX. Quòd autem homo, cui gra-  
vissima complurium annorum pœni-  
tentia debetur, confessione & comu-  
nionem facta, in certa quadam Ecclesia  
orationem Dominicam quinquies aut  
septies duntaxat *utcumque* devotè di-  
cens,

cens,



cens, per hoc statim omni debito poenæ fit liberatus; vel dicere, quòd Deus, aut Pontifex TALEM tanta gratia iudicet dignum (consideratis iis, quæ Sanctus Cyprianus una cum Ecclesia Romana simul & Africana in causa lapsorum egit ac docuit) juxta S. Bonaventuram hic §. 15. citatum, non tantum falsum sed etiam irrisione dignum videtur: Omnisque anima recta non poterit non iudicare; quòd, ut quis tanta gratia sit aliquo modo dignus, debeat contritionem non quidem maximam, vehementissimam, ac intensissimam; sed tamen magnam, vel saltem magnum eandem obtinendi conatum; nec non maximè serium & firmissimum, id omne, quod Deo displicet, in perpetuum evitandi propositum ad confessionem afferre; ac deinde (ut hac nostra ætate communiter requiri solet) ad consuetam Ecclesiæ intentionem *fervere magno, & non exiguo temporis spatio orare; oratione, cui alæ, quibus*

ad

ad thronum Dei subvolare possit, non desint; pro ut sacra scriptura, & concors sanctorum Patrum doctrina ( quibus Papa nec vult nec potest derogare ) requirit.

XXI. Cum verò quoad hæc omnia sit hodie inter Christianos imperfectio tanta, ut etiam in Jubilæis vix ex millibus unus plenam pœnarum omnium remissionem obtineat; eamque in quodam Jubilæo Romæ inter tot centena hominum millia non nisi una devota mulier sit consecuta; nemo credat, sibi propter indulgentias nunc passim extantes ( quibus equidem rectè inhiare consuevit ) digna pœnitentiæ opera injungenda & facienda non esse: Nam devotissimum illum Principem, Carolum M. ab amicissimis ei Pontificibus Hadriano I. & Leone 3. sæpe numero indulgentias petisse ac impetrasse dubitari non potest; quandoquidem B. Alcuinus, ejus *Magister deliciosus*, easdem per epistolas 63. &

&amp;

216 *Modus satisfaciendi facillimus.*

& 72. ac procul dubio etiam sapi-  
us à summo Pontifice cum magna  
solicitudine petiit : Et tamen Mag-  
num illum Imperatorem acerbis ac  
diuturnis in purgatorio poenas su-  
stinuisse , cap. 3. §. 14. est visum.  
Nec credendum est , Innocentium  
3. nequaquam curasse , ut indulgen-  
tias, Christi fidelibus tam à se, quam  
à prædecessoribus suis concessas ip-  
se quoque consequeretur ; qui ni-  
hilominus horrendis purgatorii pœ-  
nis , usque ad mundi finem toleran-  
dis , fuit adjudicatus, ut cap. 3. §.  
8. est observatum.



CA.

## CAPUT VII.

*De exercitiis, per quæ pœnarum omnium, peccatis quantumque enormibus debitarũ, remissio, absq̃ gravi corporis afflictione facillimè obtinetur.*

I. **P**rimum est; ut Pœnitens (juxta doctrinam libri conformitatum S. Francisci, fructu 24. turbâ 2.) nihil quod agit, putet, quod sit pro suo peccato digna Deo satisfactio; sed se ipsum cum omnibus, quæ agit, despiciens; quotidie, immò sæpius in qualibet die, maxima cum fiducia ad inexhaustibilem Dominicæ Passionis thesaurum, non sine gratiarum actione, & imitationis voto confugiat; atque ex eo suppleat id omne, quod deest suæ imperfectioni & infirmitati; secundùm ea, quæ ex devotissimis veterum scriptis

K

tis

218 *Modus satisfaciendi facillimus.*

tis adduxi in *Via Pacis* pag. 57. 63. 75.  
76. 78. 95. 96. 112. 113. 114. 140.  
141. 277. 278. 279. 286. 287. & 288.  
ubi videbis, quòd, & qualiter mo-  
do facillimo ( ab ipso met Christo  
Domino, *B. Susoni*, sanctisque vir-  
ginibus *Gertrudi* & *Mechtildi* sug-  
gesto ) longissimam & acerbissimam  
purgatorii pœnam peccatis tuis de-  
bitam, in brevem & levem mutare,  
immò & omninò evitare possis ac va-  
leas. Docetque *B. Henr. Suso*  
quòd, qui afflictiones peccatis suis  
debitas vult vincere, sive antevertere,  
atque expungere; nunquam debeat  
quiescere, donec pretiosi sanguinis  
Christi, pro consolatione & subsidio  
reorum omnium ineffabili cum amore  
profusi, ac ex eius *Vulneribus* decur-  
rentis, copiosum sibi spiritualiter ob-  
tineat profluvium; atque in eodem  
ferventi sanguine se sordesque suas ab-  
luere, atque in illo saluari cruento  
que rivulo totum se lavare; idque

*magna*

magna animi devotione cum firma & indubitata fide Catholica conjuncta, confidens in illo pretioso sanguine, ejus omnipotenti virtute ab omni se peccato & reatu expiatum iri. ita referatur in ejus vita c. 42.

II. Secundum est; ut quælibet adversa non aliter quàm de manu Dei, tanquam millies promerita, eundem cum Job benedicendo suscipias: Atque ex amore & imitatione Christi pro te passi & mortui, non tantùm quaslibet illatas tibi contumelias, injurias & offensas ex animo dimittas proximo tuo; sed etiam eidem bona pro malis reddas; atque interim qualemcunque afflictionem tuam in & per Crucifixi plagas, livores & vulnera humillimè offeras æterno ejusdem Patri.

III. Tertium est; ut proximi tui miseris ex intimo commiserationis affectu, pro ut potes, cum omni charitate succurras. Talem enim erga te

K 2

senties

220 *Modus satisfaciendi facillimus.*

senties DEUM, qualem te exhibueris proximo tuo; nec immensa ejusdem Bonitas se se à te vel in hoc tertio, vel in secundo superari permittet; ut omnis & scriptura, & antiquitas, & ratio clamat. Veruntamen tria hæc separari non debent, sed semper sibi invicem suffragari.

---

## CAPUT VIII

DE JEJUNIO ET ELEMOSYNA

CONCORDIA SANCTORUM PATRUM  
DOCTRINA, OMNIBUS  
QUIDEM IN PRAXI NECESSARIA;  
à PLERISQUE TAMEN NON  
TANTUM NON OBSERVATA,  
SED ETIAM IGNORATA.

ARTICULUS





222 *Pœnit. sine jejunio vacua est.*

sententiam collaudans, vertit: *Pœnitentia sine jejunio vacua est.*

III. S. JOAN CLIMACUS, circa annum D. 580. Abbas in monte Sinai, in scalâ Paradisi, gradu 5. *Pœnitentia*, inquit, est se ipsum condemnans cogitatio; est consolationis corporea perpetua repudiatio; est voluntaria rerum omnium, quæ affligunt toleratio; est cruciatuum sibi semper opifex; est valida ventris afflictio, animæque in sensu firmissimo jugis reprehensio; est abyssus humilitatis.

IV. Ibidemque narrat, se se in quodam loco propè Alexandriam pœnitentibus deputato, vidisse quosdam totas noctes adusque mane sub dio immotis pedibus stantes, & miserabiliter cum somno & naturâ luctantes, seque ipsos adhuc graviter objurgantes, ac conviciis insuper & contumeliis excitantes; alios frontibus humum ferientes, pavimentum lachrymis inundantes, se ipsos diverberantes, & ex

ima

imo pectore & intimis visceribus ritu  
 Leonum rugientes & ingemiscientes ;  
 qui saxa ipsa verbis & vociferationi-  
 bus precibusque ad Deum fufis ad sen-  
 sum commiserationis possent inflectere.  
 Videre erat in illis linguas ardentes, &  
 pro ritu Canum ex ore promissas. Alii  
 in gravi solis aestu se cruciabant. Alii  
 frigore se torquebant. Alii cum modi-  
 cum quid aqua libassent, desierunt, tan-  
 tum ut ne siti enecarentur. Alii cum  
 panem gustassent duntaxat, illum rur-  
 sus procul à se reiciebant, SE INDIG-  
 NOS DICTITANTES QUI CI-  
 BUM HUMANUM SUMERENT,  
 qui bestiarum opera exercuissent.

V. Erat videre in illis genna, quæ ex  
 assiduâ geniculationum consuetudine  
 callum obduxerant; oculos exesos atque  
 defiles, altosque in sinus capitis rece-  
 dentes. Genas habebant saucias, & ardo-  
 re ferventium lachrymarum adustas ;  
 vultusque pallentes & emaciatas facies,  
 nihil à mortuis, si conferres, differentes,  
 & .

224 *Pœnitent. sine jejuniis vacua est.*

VI. Maxima verò peccata; quæ ibidem ab hominibus laicis, vitæ monasticæ addictis, & sacros ordines non habentibus sic luebantur, erant *violatio signaculi Castitatis; gula, sive comestio furtiva; & subitus furor*; ut gradu 4. & 5. licet videre. Et si quando quis occultè fuerat lapsus, **DETECTO** [apud Abbatem] *vulnere, petitoque emplastro, importunis precibus & lacrymis* rogabat eidem loco adjudicari; *Ubi nullus unquam culinae fumus cernebatur; non vinum, non oleum in cibum adhibebatur; non aliud quicquam à foco, præter panem & minuta oluscula in mensam inferebatur;* & unde nemo unquam poterat efferre pedem, nisi postquam de eo *preses DIVINITUS* fuerat edoctus. Et quidem, ut gradu 4. refertur, frater quidam ex Alexandrino, trecentorum & triginta Monachorum Coenobio, eo quòd alium quendam fratrem tantummodò *ut nugacem & loquacem* criminatus fuerat,

rat, expulsus; in vestibulo portæ totos  
7. dies substitit, assiduè aditum rursus  
ad Coenobium, & delicti veniam pre-  
cans: Et licet per 6. dies nihil omnino  
gustasset, non tamen nisi hac conditio-  
ne, *ut ad pœnitentium classem transfret,*  
rursum fuit admissus: Quam conditio-  
nem cum ille *obviis manibus amplexa-*  
*tus* fuisset, jussit eum Abbas ad præfa-  
tum carcerem deduci; in quo præter  
laicos Regularcs, procul dubio & secu-  
lares pœnitentiam agebant

VII. ROGABANT illi sæpè exi-  
mium suum Pastorem & judicem, uti  
collum numellis, & ferreis manicis  
brachia constringerentur; pedes cippo &  
robore, reorum ritu, includerentur;  
nec prius inde expedirentur, donec  
sepulchris inferrentur: immò ne se com-  
muni hominum sepulturâ dignaretur;  
sed more pecudum vel in flumen abijce-  
ret, vel feris in agno devorandos expo-  
neret.

VIII. Ita nimirum adhuc seculo  
Christi

226 *Pœnit. sine jejuniò vacua est.*

Christi 6. penè elapso Christiani agnoscebant, quàm horrendum sit, DEUM viventem offendere ; atque in alterâ vitâ in ejusdem manus incidere ! Tu verò, qui ejusdem Majestatem immensam illis multò gravius læsisti, ab iisdem disce, non solarum, earumq; brevissimarum precû injunctiõnem à sacerdotibus desiderare ; & , quando jejunas, te omni cibo desiderabili , immò & pane ipso indignissimum judicare, nec pharisaico fastu turgere. *Probè novimus*, inquebant jam dicti pœnitentes, & nec oculos ad cœlum levare audentes, *nos deinceps omni pœna & supplicio dignissimos. Nõ possumus enim pro numero & multitudi- ne peccatorum nostrorum satisfacere etiam si totus mundus convocatus nobiscum plāgeret.* Seque ipsos excitando dicebant: *Curramus! fratres, curramus! neque impuro & arumoso corpori nostro parcamus ; sed mactemus carnem nostram , quemadmodum illa mactavit animas nostras.*

IX. Et

IX. Et S. Cyprianus, *Ad placandum, inquit, & exorandum Dominum non voce sola, sed & jejunijs & lacrymis, & omni genere deprecationis ingemiscamus.* ita ille epist. 7. *fideles assiduis orationibus & enixis precibus instanter incumbentes* exhortabatur.

## ARTICVLVS II.

*Jejunium sine eleemosynâ mortuum est: Et absque ea nequaquam & cum eadem verò citissimè exauditur oratio nostra.*

I. S. PETRUS CHRYSOLOGUS *(monitu Sanctorum Petri Apostoli, & Apollinaris Ravennatium Episcopi ac Martyris, circa annum 433. ordinatus eorundem antistes) serm. 43.* Tria sunt, fratres, per quæ stat fides, constat devotio, manet virtus; Oratio, jejunium, misericordia: Quod oratio postulat, impetrat jejunium, misericordia accipit. Oratio, misericordia,

K 6

cordia,

cordia, jejunium, sunt hæc tria unum; dant sibi invicem vitam: Est namque orationis anima jejunium; jejunii vita, misericordia est. Hæc nemo rescindat; nesciunt separari. Horum qui unum habet; ista qui simul non habet, nihil habet. Ergo qui orat, jejunet; qui jejunat, misereatur; audiat petentem, qui petens optat audiri. Auditum Dei aperit sibi, qui suum supplicanti non claudit auditum. Jejunium jejunator intelligat; esurientem sentiat, qui vult Deum sentire, quod esurit. Misereatur, qui misericordiam sperat. Pietatem qui quærit, faciat. Qui præstari sibi vult, præstet. Improbus petitor est, qui quod aliis negat, sibi postulat. Homo! Esto tibi misericordiæ forma: sic, quomodo vis, quantum vis, quàm citò vis misericordiam tibi fieri; Tam citò alii, Tantum, Taliter miserere. Ergo misericordia, oratio, jejunium fiant unum patrocinium ad Deum pro nobis. Hæc advocatio sit una. Una hæc oratio pro nobis

nobis sit triformis. Hæc cui in cœlestibus non assistunt, iste non subsistit in terris.

*Et serm. 8.* Quod est anima corpori, jejunio largitas hoc habetur: Sicut enim mortificatur corpus, à corpore anima cum recedit; ita mors est jejunii, largitatis abcessus. Misericordia & pietas jejunii sunt alæ, per quas tollitur & portatur ad Cœlum; sine quibus jacet & volutatur in terra. Jejunium sine misericordiâ simulachrum famis est; imago nulla est sanctitatis. Qui non jejunat pauperi, Deo fingit. Qui jejunans, prandium suum non erogat sed deponit, cupiditati probatur jejunare, non Christo.

*Idem serm. 41.* Jejunium est sanctitatis hostia, sacrificium Castitatis, sed sine misericordiæ incenso ad Divinum non potest conspectum in odorem suavitatis ascendere. Quod anima est corpori, hoc misericordiam constat esse jejunio. Quando jejunium ex miseri-



cordiã vivit , tunc vivificat jejunan-  
tem . . . Clamat Deus: Misericordiam  
volo ! Homo ! Da Deo, quod vult ; si  
vis tibi dari à Deo , quod vis . . . Fra-  
tres ! sint delicia pauperum nostra jeju-  
niã ; ut temporale jejunium nostrum in  
æternas nobis possit delicias immutari.  
Homo ! Dando pauperi , das tibi ;  
quia, quod pauperi non dederis, habe-  
bit alter ; tu solùm, quod pauperi dede-  
ris, hoc habebis. *Et serm. 4.* Misericor-  
diam qui non dat alteri, tollit sibi. Mi-  
sericordiam, qui seminat inopi, metet  
sibi.

II. NECTARIUS , *ab anno. 382.*  
*ad 397. Archiep. Constantinop. Orat.*  
*in S. Theodorum Mart.* Ut corpus  
spiritu destitutum , inutile planè  
que inefficax est ; ita jejunium, eleë-  
mosynã nullã stipatum , veluti imbe-  
cille & roboris expers , invanum ple-  
rumque abit.

III. S. AUGUSTINUS *in psalmũ*  
*42. in fine :* Hæc justitia hominis in hac  
vitas

vitā; jejunium, eleēmosyna, & oratio.  
 Vis orationem tuam volare ad Deum?  
 Fac illi duas alas; jejunium & eleēmosy-  
 nam. *ita et S. ISIDORUS lib. 6.*  
*Etymolog. c. 19.*

IV. S. CYPRIANUS *l. de opere &*  
*eleēmosynā, non procul inisio*: Ostendit  
 ( *Archangelus Raphaël, Tob. 12. v. 8.* )  
 orationes nostras & jejunia minus posse,  
 nisi eleēmosynis adjuventur; depreca-  
 tiones solas parum ad impetrandum  
 valere, nisi factorum & operum acces-  
 sione farciantur. Revelat Angelus &  
 manifestat, & firmat, eleēmosynis peti-  
 tiones nostras efficaces fieri, &c. *Et*  
*paulò ante*: Qui obturat aures, ne audi-  
 at imbecillum; & ipse invocabit Deum,  
 & non erit qui exaudiat eum, *Proverb.*  
*21. v. 13.* Neque enim promereri mise-  
 ricordiam Domini poterit, qui miseri-  
 cors ipse non fuerit; aut impetrabit de  
 divina pietate; aliquid in precibus, qui  
 ad precem pauperis non fuerit hu-  
 manus.

V. S.

V. S. AMBROSIVS *serm.* 26. in  
 jejunio, *inquit*, exigitur, ut prandia  
 nostra pauperibus erogentur; & quod  
 præsuri eramus, non in nostris saccu-  
 lis, sed in visceribus pauperum repona-  
 mus. *Item*: Tale est jejunium sine  
 eleëmofyna, qualis est lucerna sine  
 oleo. *Et serm.* 41. Qui abstinemus &  
 minimè prandemus, hoc tempore  
 prædia nostra pauperibus prærogemus:  
 Hæc est enim vera justitia, si te esurien-  
 te cibo tuo alius satiatur; & tu tuis  
 jejuniis Dominum roges, & ille pro te  
 satiatus exoret. Ceterùm qui sic absti-  
 net, ut nihil pauperibus de suis epulis  
 largiatur, videtur quæstum sibi suum  
 fecisse jejunium, & negotiationem  
 parcendo.

VI. S. JOAN. CHRYSOT. *serm.*  
 I. *de jejunio*: Non, *inquit*, negotiatio  
 jejunium est, ut lucrum faciamus non  
 edendo; sed; ut, quod manducaturus  
 eras; pauper, jejunante te, comedat:  
 Fiatque tibi duplex bonum; tum quòd  
 jeju-

jejunas; tum quòd alius non esurit. *Et homil. 5. de Pœnitentia*: POENITENTIA SINE ELEEMOSINA MORTUA EST; & sine plumis nequit volare pœnitentia, pennas eleëmofynæ non habens.

VII. S. AUGUST. in psalm. 42.

Noli jejunium putare sufficere ... Fructuosæ erunt angustix tuæ, si alteri præstiteris latitudinem. Quàm multos pauperes saginare potest intermissum hodie prandium nostrum! ita jejuna, ut alio manducante prandisse te gaudeas; propter orationes, ut exaudiaris: ibi enim (Isa. 58. v. 9.) ait: Adhuc loquente te, dicam: Ecce adsum; si fregeris ex animo esurienti panem. Si panem dederis tristis, & panem & meritum perdidisti. *Et serm. 65. de Tempore*: Jejunia, ut plena sint & suffarta, misericordiæ pinguedine saginentur: Demus esurientibus prandium nostrum. Nec putes jejunia sola sufficere ad sananda vulnera peccatorum,

catorum, ni medicamento eleëmofynæ recreentur. jejunium ergo tuum te castiget, sed latificet alterum; & ita fructuosæ erunt angustia tuæ, si alteri latitudinem præstent: Nam manducante paupere de bonis tuis prandet CHRISTUS, qui se in paupere esurire testatur.

VIII. S. FULGENTIUS, *Episc. Ruspenfis, anno D. 533. et. 66. defunctus, ep. 2. ad Gallam, de viduitate servanda: cap 16.* Quicquid tuis apparatibus subtrahis, esurientibus tribue; & quicquid tibi deducis, egenis expende: Voluntarium jejunium tuum esuriam sublevet indigentium; ut in fructu misericordiæ tuorum possit jejuniorum fecunditas apparere.

IX. S. LEO MAGNUS, *à die 8. Septemb. anni 440. ad diem 30. Octob. anni 461. Pont. Max. serm. 9. de jejunio decimi mensis.* Fiat abstinentia fidelium cibis pauperum;

&

& quod quisque subtrahit sibi, proficiat indigenti: Quia, licet multum & animis & corporibus conferant remedia parcitatis, parum tamen utilia sunt ipsa jejunia, nisi misericordiae sanctificentur effectu: in eleemosynis enim virtus quaedam est instituta Baptismatis. *Et serm. 3. de jejuniis Pentec.* Proficiat eleemosynis, quod non impenditur mensis: Tunc enim demum ad animae curationem proficit medicina jejunii, cum abstinentia jejunantis esuriem reficit indigentis. *item serm. 10. de Quadrages.* Jejunii nostris egentium refectio suffragetur: Nulla enim devotione fidelium magis Dominus delectatur, quam ista, quae pauperibus ejus impenditur: Et ubi curam misericordiae invenit, ibi imaginem suae pietatis agnoscit.

X. S. GREGOR. M. a. 3. Sept. anni 590. ad 12. Mart. anni 604. Pont. summus, hom. 16. in Evang. Nemo sibi ab-

236 *Jejunans ea, qua sibi subtrahis.*  
abstinentiam solam credat sufficere,  
cum per Proph. ( *Isa. c. 58. v. 6. 7. &  
8.* ) Dominus dicat : *Nonne hoc est  
magis jejunium, quod elegi? ... Fran-  
ge esurienti panem tuum, &c.* Illud  
ergo jejunium Deus approbat, quod  
ad ejus oculos manus eleëmofynarum  
levat ; quod cum proximi dilectione  
agitur ; quod ex pietate conditur.  
Hoc ergo, quod tibi subtrahis, alteri  
largire : ut, unde caro tua affligitur,  
inde egentis proximi caro repareretur :  
Hinc etenim per Prophetam ( *Zachar.  
c. 7. v. 5. & 6.* ) Dominus dicit : *Cum  
jejunaretis & plangeretis, nunquid  
jejunium ieiunastis mihi? Et cum co-  
meditis & bibitis, nunquid non vobis  
comeditis, & vobismetipsis bibitis?* Sibi  
enim comedit & bibit, qui alimenta  
corporis, quæ sunt communia dona  
Creatoris, sine indigentibus percipit :  
Et sibi quisque jejunat, si ea, quæ sibi  
ad tempus subtrahit, non pauperibus  
tribuit, sed ventri postmodum offe-  
renda

renda custodit. Hinc per Joëlem ( c. 2. v. 15 ) dicitur: *sanctificate ieiunium.* Jejunium quippe sanctificare, est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere.

XI. S. ELIGIUS, *cap. 4. num. 3. laudatus*, homil. 9. Poenitentes, quæ ventri subtrahunt, erogent pauperibus.

XII. THEODULPHUS, *Episc. Aurelian. qui anno 794. Concilio Francof. interfuit, in selectis capitulis, cap. 38.* Diebus verò jejunii eleemosyna facienda est; & cibum vel potum, quo quisq; uti debuit, si non jejunaret, pauperibus erogat. Quia jejunare, & cibos prandii ad cœnam reservare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.

XIII. HERMAS PASTOR ( *quem origenes, Eusebius, S. Hieron. Sedulius & alij credunt esse illum, quem Apostolus ad Rom. 16. v. 14. vult saluatum; quemque iam sec. 2. S. Irenæus allegando laudavit* ) lib. 3. similitudine 5. Illo die, quo jejunabis, nihil omnino gustabis



bis nisi panem & aquam ; & computatâ quantitate cibi , quam ceteris diebus comesturus eras , sumptum diei illius , quem facturus eras , repones & dabis viduæ , pupillo , aut inopi ; & sic consummabis humilitatem animæ tuæ ; ut , qui ex eo acceperit , satiet animam suam , & pro te adeat Dominum Deum oratio ejus. *Unde & Ecclesia per Quadragesimam in Capitulo feriali ad Nonam fidelibus illa Omnipotentis Dei verba ex Isaia cap. 58. identidem inculcat : Frange esurienti panem tuum ; & egenos vagosque induc in domum tuam : Cum videris nudum , operi eum ; & carnem tuam ( i. e. proximum tuum pauperem ) ne despexeris.*



ARTI.

## ARTICVLVS III.

*Per maiorem eleemosynæ largitatem suppleri ac redimi potest & debet pœnitentialis jejunii rigor.*

I. **P**orro; si ille, qui iuxta Tertulliani, cap. 2. art. 2. Reg. 7. post medium citati, phrasin, plerumque preces jejuniis alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque solet; Vel qui (ut S. Cypr. ibid. cit. loquitur) orare impensius & rogare; diem luctu transigere; vigiliis noctes ac fletibus ducere; tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare contendit; quique cū Judæis, Isa. 58. v. 5. per diem affligere animā suam, & contorquere quasi circulum caput suum; & saccum & cinerem sternere, ac totis diebus nihil omnino nisi panem & aquam gustare consuevit; si, inquam, ille, qui hæc omnia prestat, debet insuper iuxta verbum  
*Domini*

240 *A ieiunio excusatus aut disp.*

*Domini Isa. 58. v. 10. effundere esurienti animam suam, & animam afflictam replere, ut exaudiatur eius oratio; Certe tantò unusquisque esse largior debet, quanto ab eiusmodi ieiuniorum & precum intensione longius abest. Pro eo, quòd NON POTEST jejuna- re, inquit S. AMBROS. serm. 26. AMPLIUS erogare pauperibus debet; ut peccata, quæ non potest jejunando curare, possit eleëmofynas dando redimere. Si possibilitas non fuerit jejunandi, eleëmofyna sufficit sine jejunio; jejuniũ verò sine eleëmofyna non sufficit, Et B. RHABANUS, ex ord. S. Bened. ab a. n. 847. ad 856. Archiep. Mogunt. homil. in D. 2. Quadrages. sed fortè aliquis in corde suo ita dicit: vellem quidẽ jejuna- re; sed non possum: vellem à carno & vino abstinere; sed non permittit me infirmitas: Nam & in hoc do consilium. Ergo, si non potes jejuna- re, eleëmofynam tribue; & QUANTO INFIRMIO- RES IN VNO, TANTO LARGIO- RIS IN ALTERO.*

II.

II. Immo, si ille, quem jejunare non permittit infirmitas, tantò amplius erogare pauperibus debet; quantò amplius in eosdem is debet effundere, quem à debito jejuniy rigore non infirmitas, sed sensualitas retrahit?

III. Notent hæc, qui complurium peccatorum mortalium sunt Rei, ac per consequens multò pluribus annis in pane & aqua jejunare deberent; & tamen vel in ipsa communi Quadragesima (quando mala pœnæ, quæ non tantùm privatim singulis, sed etiam publicè omnibus pro peccatis imminent, unanimiter humiliando & affligendo animas nostras, sicque Deum placando antevertere deberemus) vel dispensationem querunt; vel ita jejunant, ut nihil angustia, afflictionis aut molestia sentiant; immò sensualitatem suam sectando quotidie tam vesperi quam meridiè venialiter peccantes, agrè admodum cavent, ne præceptum Ecclesiæ mortaliter violent. Profectò nec per tale jejunium, nec per

L

dis-

242 Sit valde largus in pauperes.

dispensationem Prælati, pœna peccatis debita aboletur. Et veniet tempus, quando secundum ea, quæ c. 3. num. 6. & sequentibus pertractata sunt, centum & plures annos in pane & aqua ieiunare mallet; quàm in Purgatorij pœnis, quàm compluribus annis tolerare cogeris, vel unâ duntaxat horâ manere.

Notabile est, quod Nicephorus Callistus, hist. Eccles. l. 18. c. 32. refert: Nimirum, Cum [sub JUSTINIANO Magno, ab anno 527. ad 566. Romanorum Imperatore] fames Bizantii (i. e. Constantinopoli) increbuisse, rerum necessarium inopiâ; Imperator secundâ statim jejunii hebdomade carnes in foro venales (Patriarchâ dispensante) proponendas promulgavit: Populus autem, qui pietatem sibi consecrandam statuisse, neque eas edebat, neque emebat; mortem sibi potius adeundam esse censens, quàm ut quicquam de patriis moribus & traditionibus mutaret.

IV.

IV. NON CULPATUR INFIRMUS JEJUNIUM SOLVENS, A QUO CIBUM ACCIPIT PAUPER ESURIENS, inquit S. LEO Magnus *serm. 2. de ieiunio septimi mensis*; eoque ipso satis aperte insinuat, ipsos quoque infirmos esse culpandos, quando absque eo, quod esurientibus effundant animas suas, ieiunia publicè decreta solvunt. Quia nimirum publica poena mala, quæ unâ cum alijs provocarunt, cum alijs quoque antevertere & redimere non (uti oportet) juvant. Quanto igitur magis culpandus est homo sanus, qui non ex verâ & magnâ necessitate, sed ob exiguam carnis afflictionem (propter quam tamen ipsam ieiunium est institutum) mox idem solvit; nisi ab eo cibum, eumque largum, accipiat pauper esuriens?

Certè, meliorum temporū Christianos sensisse, quod statuta Ecclesie ieiunia etiam ab infirmis per eleemosynas sint redimenda, patet non tantum ex statim allegato S. LEONIS textu; sed etiam ex

244 *A jejunio excusatus aut disp.*  
*ijs, quæ hic S. I. ex S. Ambrosio & B. Ra-*  
*bano sunt allegata; Et Chronicon Mag-*  
*deburgense manusc. ac per vetustum, ad*  
*annum 1012. Cum laudasset Thagino-*  
*nem Archiep. Magd. eodem anno defun-*  
*ctum, quod fuerit justus & timoratus,*  
*ac miræ charitatis; largus & fidelis;*  
*castus ac mitis; prudens & stabilis; ac in*  
*vigiliis supra modum laborans; quia,*  
*inquit, ob lassitudinem jejunare non*  
*potuit, hoc eleëmofynarum multitudi-*  
*ne redemit.*

*Æquissima verò est Regula; ut, qui*  
*ieiunium peccatis suis conveniens eleë-*  
*mosynis vult redimere, adeo ut Deum sibi*  
*ex toto placatum reddat; is tantum pau-*  
*peribus eroget, ut malit iuxta numerum*  
*& gravitatem peccatorum suorum ieiunare in pane & aquâ, quàm plura dare.*  
*Quod si non fecerit, pœnas sibi restantes,*  
*illis, quibus hic sponte susceptis Altissimus*  
*foret contentus, longissimè graviores,*  
*eodem Altissimo infligente,*  
*persolvat.*

AR.

## ARTICVLVS IV.

*Eleemosyna debet esse larga & humilis.*

I. **B**HILARIUS SARDUS (*de quo supra cap. 1. art. 5. n. 4.*) in cap. 4. epistola 1. ad Timot. OMNIS, inquit, SUMMA DISCIPLINÆ CHRISTIANÆ IN MISERICORDIA ET PIETATE EST.

II. Quid est autem misericordia, nisi alienæ miseriæ quædam in corde nostro compassio? quâ utique, si possumus, subvenire compellimur, ait S. AUGUST. l. 9. de civ. Dei. c. 5. Et profectò rectissimè: Nam, ut D. Thomas, 1. parte, quæst. 21. art. 3. observat, Misericors dicitur aliquis, quasi habens miserum cor; quia scilicet afficitur ex miseriâ alterius per tristitiam, ac si esset ejus propria miseria: Et ex hoc sequitur (**NB.**) quòd operetur ad depellendam miseriâ alterius, sicut miseriâ propriâ.

III. S. JOAN. CHRYSOST. homil.



246 *Eleëmosyna fit larga & humilis.*

7. *de Poenit.* Est, inquit, eleëmosyna, cum de proposito, cum de liberalitate fit; cum abundè; cum te non tam dare censes, quàm accipere; cum quasi lucrantem te, non quasi amittentem: Quoniam quidem, nisi sic existimaveris, non est gratia.

IV. S. AMBROSIIUS *serm.* 24.  
Dum [*divites*] circa pauperes non pro eo, quod prævalent, operantur; nec hoc est gratum, quod offerunt; nec illud est satiabile, quod reservant. *Eosque ibidem comparat impio Cain, potiora sibi met reservanti, viliora autem Domino in sacrificium offerenti.*

*Et hæc quidem hætenus de hominibus non graviter lapsis sunt dicta: sic verò lapsis necessitas magna adhuc maioris in pauperes largitatis incumbit: Nam, ut S. GREGORIUS, homil. 20. in Evangelia docet, Ad fructum dignum poenitentiae pertinet, ut non solum exteriora quæque & minùs necessaria, sed IPSA VALDE NOBIS NECESSA-*

CESSA-

CESSARIA dividere cum proximis debeamus; scilicet ( *in xta Luca 3. v. 11.* ) vel escam, quâ carnaliter vivimus, vel tunicam, quâ vestimur: Quia enim in Lege scriptum est: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, minus proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius, etiam ea, quæ sibi sunt necessaria, partitur.

V. S. CÆSARIUS, *ab anno 500. vel 501. ad ann. 545. Episcopus Arelat. homil. 8.* Quoties, *inquit*, infirmos visitamus; in carcere positos requirimus; discordes ad concordiam revocamus; indicto in Ecclesiâ jejunio jejunamus; hospitibus pedes abluimus; ad vigiliis frequentius convenimus; elemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus; inimicis nostris, quoties petierint, indulgemus: istis operibus, & his similibus minuta peccata quotidie redimuntur. Pro capitalibus verò criminibus non solum hoc sufficit; sed addendæ sunt lachrymæ,

248 *Eleemosyna fit larga & humilis.*

& rugitus, & gemitus; continuata, & longo tempore procrastinata jejunia;  
LARGIORES ELEEMOSYNÆ,  
ETIAM PLUS QUAM NOS IPSI  
VALERE POSSUMUS, ERO-  
GANDÆ.

VII. *Inter capitalia verò mala, ho-  
mil. 1. etiam FORNICATIONEM  
numerans, Hæc, inquit, principalia  
mala ingenti rugitu & gemitu & fonte  
indigent lachrymarum; immò, ut iam  
visum est, & eleemosyna admodum lar-  
gâ. Causam tuam apud pauperes lar-  
gâ erogatione componas, ait S. VA-  
LERIANUS, Episc. Cemelensis, qui  
anno 439. interfuit Concilio Reienti,  
homil. 5. quæ est 1. de bono Martyrii,  
paulò ante medium.*

VIII. S. SALVIANUS, origine Tre-  
virensis, & ab anno circiter 440. Pres-  
byter Massiliensis, ~~Massiliensis~~  
~~Episcopus~~ Episcoporum Magister, in Timo-  
theo suo, lib. 1. longè post med. de homine,  
qui poenitentiam usque ad extrema  
† ipsorum ad eò distu-

distulit, agens, ineffabile, inquit, dictu est, quantum lamentationis erroribus suis debeat, qui nunquam errata cognovit! Et quid inter hæc fiet? Quando lugebit, qui dies lugendi perdidit? quando satisfaciet, qui tempus satisfactionis amisit? Ad jejunia videlicet longa confugiet? Est quidem hoc aliquid, si Eleëmofynis misceatur, secundum illud: Bonum est jejunium cum eleëmofyna. Sed quomodo ei EXOMOLOGESIS DIUTURNA opitulabitur in extremis sito? sed cilicio carnes conteret, ac favillâ & cinere sordidabit? ut mollitiem videlicet præteritæ voluptatis præsentium asperitatum dura compensent; & reatum longarum deliciarum officio parrocinantis solvat injuriæ? sed quando hæc tam grandia faciet, vicino jam exitu etiam à mediocrium actione disclusus? Crucibus denique diversarum ærumnarum reum in suo corpore hominem iudex FIDEI SEVERITAS subjugabit, ut

250 *Eleëmofyna fit larga & humilis.*  
indulgentiam ſcilicet Abſolutionis  
æternæ , præſentis poenæ ambitu me-  
reatur? ſed fatiſcente jam corpore ubi  
exercebit diſtrictionis officium cenſor  
animus? &c.

Unum ergo eſt, quod admiſſis om-  
nibus adjuventis atque ſubſidiis au-  
tanti ac deſtituto opitulari queat ; ut  
confugiat ſcilicet ad illud Beatiffimi  
Danielis ſacrum ac ſalubre conſilium :  
Peccata tua eleëmofynis redime, &c.  
(*Dan. 4. v. 24.*)

Sed offerat tamen cum compunctio-  
ne, cum lachrymis; offerat cum dolore,  
cum luctu : Aliter quippe oblata non  
profunt ; quia non pretio , ſed affectu  
placent, &c.

Cum offert Deo quiſquam faculta-  
tes ſuas, non offerat quaſi præſumptio-  
ne donantis, ſed quaſi humilitate ſol-  
ventis ; nec abſolvere peccata ſua cre-  
dat, ſed alleviare ; nec offerat cum re-  
demptionis fiducia, ſed cum placationis  
officio ; nec quaſi totum debitum red-  
dens,

dens, sed quasi vel parvum de magno reddere cupiens: Quia, etiamsi tradat quod habet pro modo rerum; non reddit quod debet pro magnitudine peccatorum: Et ideo, licet offerat, oret Deum, ut sua placeat oblatio; plangens id ipsum, quod tardè offerat; plangens ac pœnitens, quòd non priùs: sicque erit, ut juxta Prophetam [Dan. 4. v. 24.] propitiatur forsitan Deus delictis suis.

Sed dicit aliquis: Totum ergo Deo oblaturus est, quod habet? Non offerat totum, quod habet, si non putat se debere totum, quod habet. Immò nihil; si non cum fide: immò nihil; si non cum ambitu: immò nihil; si non cum prece: immò nihil; si non hoc animo, ut hoc ipsum inter præcipua Dei beneficia reputet, quòd animum offerendi dedit, &c.

Totum, inquit aliquis, oblaturus est? At ego dico esse hoc totum parum: Quid enim jam scit aliquis, an pecca-

torum mensuram oblata compensent? jam scit aliquis, an tantum sit in officio placationis, quantum est in offensione discriminis? si novit quisquam hominum peccatorum, quanto redimere delicta possit, utatur scientia ad redemptionem: si verò nescit, cur non tantum offerat, quantum potest? ut si compensare peccata non valet pretii magnitudine, saltem mentis devotione compenset.

*Et l. 3. non valde longè ab initio, cum docuisset, quod ille, qui per dispositionem iuris, & suis debita pietatem offerre totum non potest, debeat offerre quantum potest, hæc subdit: Facilius est utique hic hæredibus deesse quiddam de patrimonio, quàm illic testatoribus de salute: idque & ipsi, quibus hæreditas derelinquitur, si modò pietatis aliquid in se habent, specialiter velle debent; ne illi pereant, qui relinquunt: Quod utique si nolunt, multò minùs digni sunt, quibus aliquid relinquatur;*  
quia

quia non injustè testator sapiens non relinquit, quod hæres impius non meretur.

IX. S. PACIANUS, *Episc. Barilon. in Hisp. circa annum 390. in ultima senectute mortuus, epist 3. ad Sympronianum, Detrimenta, inquit carnis; damna lætitiæ; DAMNA PATRIMONII, vitæ labores, actus propriè poenitentium sunt.*

X. S. CYPRIANUS, *l. de lapsis propè finem, incunctanter, inquit, & largiter fiat operatio [ i.e. eleëmofyna ] census omnis in medelam vulneris crogetur: opibus & facultatibus nostris, qui de nobis judicaturus est, Dominus fœneretur. Sic sub Apostolis fides viguit; sic primus credentium populus Christi mandata fervavit: Prompti erant; largi erant; distribuendum per Apostolos TOTUM dabant; & non talia delicta [ qualia nunc redimenda sunt ] redimebant.*

XI. *Nimirum, melioribus Ecclesiæ*

L 7

tem-



254 *Eleemosyna sit larga & humilis.*  
*temporibus Christiani in misericordia*  
*Dei, & in beneficio mortis Christi, per*  
*absolutionem, aut votum eiusdem appli-*  
*cando, sic confidebant, ut peccatorum*  
*graviu[m] reo, tum vera, plena, ac perfe-*  
*cta poenitentis gratiam, tum omnis in-*  
*dulgentiam reatus à Deo & precum &*  
*jejuniorum instantiâ magnâ, majore,*  
*aut maximâ; & eleemosynarum pietate*  
*largâ, largiore, aut largissima, pro varia*  
*peccatorum multitudine & gravitate,*  
*per eiusdem mortis Christi beneficium*  
*fiducialiter efflagitandam esse non di-*  
*bitarent; tametsi sacramentalis confessio*  
*& absolutio tunc non essent minoris ef-*  
*ficacia, quàm sint modò.*



ARTI-

## ARTICVLVS V.

*Eleemosyna larga & humilis est medium efficacissimum ad placandum & promerendum Dominum Deum.*

I. **I**Nter hæc autem sciendum est, **I**nquit S. GREGOR. *hom. 20. in Evang.* quantum misericordiae opera valeant; cum ad fructus dignos poenitentiae **IPSA PRÆ CETERIS PRÆCIPANTUR.**

II. Et S. SALVIANUS, *in Timotheo suo, l. 3. sub initium, speciale, ait,* Christianorum omnium bonum misericordiam ac largitatem esse memoravimus; præcipuaque in eis & merita Sanctorum, & peccatorum remedia contineri, idoneis, ut reor, ac **MULTIS TESTIBUS** adprobavimus.

III. S. JOAN. CHRYSOST. *quoque homil. 4. in epist. 2. ad Corinth. in Morali docet, quod inter alia ibidem*  
*enume-*

256 *Eleemos. pra omnibus placat Deū.*  
*enumerata* remissionem peccatorum  
praestet ea , quæ omnibus antecellit  
eleemosyna. *Et hom. 9. de pœnit. circa*  
*med.* Magna, *inquit*, res eleemosyna,  
fratres! Hanc amando faciamus, CUI  
NIHIL ÆQUALE: Potest enim pec-  
cata alia delere ; iudicium propulsare,  
&c. *Rursus homil. 9. in epist. ad Hebr. in*  
*moralis* : Post orationem, *inquit*, adeo  
intensam ( *qua videlicet unà cum multis*  
*lachrymis, & interdum & noctu ad Deum*  
*clamatur* ) **MULTA OPUS EST**  
**ELEEMOSYNA**: Hoc enim est, quod  
reddit admodum validum medicamen-  
tum pœnitentiæ : Et quomodo in me-  
dicorum adiumentis est medicamen-  
tum , quod multas quidem capit her-  
bas ; sed unam , quæ obtinet princi-  
patum ; ita etiam in pœnitentiâ , ip-  
sa est herba , quæ principatum magis  
obtinet ; & **IPSA FUERIT UNI-**  
**VERSUM**: Audi enim , quid divina  
dicat Scriptura ( *Luc. 11. v. 41.* ) Date  
eleemosynam ; & omnia ei unt vobis  
mun-

munda. Et iterum (*Prov. 15. v. 28.*)  
 Eleëmofynis & fide mundantur pec-  
 cata.

IV. *Notandum tamen, dicto nunc  
 eleëmofynas erogandi modo mundari  
 peccata; Non ut qui ipse per se satis  
 idoneus sit; sed qui egeat in primis  
 misericordiâ Dei & sanguine CHRIS-  
 TI; in quo redemptionem habemus.  
 ita rectissime monet S. BASILIUS M.  
 in Regulis brevioribus (quas ejus disci-  
 puli pœnitentes, de quibus hoc ipso cap.  
 art. 1. num. 4. & seqq. est actum, non  
 ignorabant) cap. 271. Et sic ab Ecclesia  
 Rom semper huc usque creditum tradi-  
 tumque fuisse, copiosissime demon-*

*stravi* IN VIA  
 PACIS.



A R.

## ARTICVLVS VI.

*Eleemosyna larga & humilis est maximè necessaria ad obtinendam finalis perseverantiae gratiam & vitam aeternam.*

I. **C**ONCILIVM Cloveshoviense, à S. Cuthberto Archiepisc. Lindisfarnensi unà cum undecim aliis Anglo-saxonum Episcopis añ. 747. celebratum, Can. 26. *Eleemosyna, inquit, necessario ad hoc quotidie fidelibus essent agenda; ut delinquentibus, ac dein per debitum jejunium pœnitentiam agentibus, præterita peccata citius ac plenius a DEO, quem offenderunt, remittantur; & ne eadem iterentur, vel alia similia insuper agantur, ad divina per eas adipiscenda protectionis patrocinium.*

II. Estque singulariter observandū, quòd gravissimè ac periculosissimè aberrerent, qui hac in caula se omnino se-

CUROS

curos credunt , modò in illis tantùm casibus dent eleēmosynam , in quibus ea sub poenâ peccati mortalis est danda : Quamvis enim eleemosynam non dantes rarò per hoc statim & immediatè mortaliter peccent ; specialis tamen gratiæ & protectionis auxilia ( ad resistendum malo ; atque ad standum , proficiendum , & finaliter perseverandum in bono , omnimodis necessaria ) à DEO omnium quidem optimo , sed tamen etiam justissimo , sua culpa non obtinent ; ac per consequens tentationibus [ sæpissimè vel in ipso mortis articulo prævalentibus ] succumbunt , & percunt in æternum : sicut enim vigilare & orare , Matth. 26. v. 41. in modò , ut Luc. 18. v. 1. dicitur , *semper orare & non deficere oportet* , ut non intremus in tentationem ; atque ut DEUS in nos per continua suæ gratiæ & protectionis auxilia sit Dives ; ita etiam juxta ipsius Domini verbum , Luc. 12. v. 21. necessarium est nos quoque *in Deum divites esse* ;

esse; & preces nostras plurimum deficientes & imperfectas beneficentiae studio supplere ac sublevare; immò vel hoc ipso studio, nec non & miserorum ac pauperum per nos adiutorum votis, precibus ac suffragiis ad Deum clamare, ut censeamur semper orare.

III. *Et reverà docet nos certa fides non nisi novo gratiae Dei auxilio ullam tentationem nos posse vincere, aut ullum bonum opus efficere; etiam cum veram Charitatem jam Deus diffudit in cordibus nostris, inquit Petrus de Soto in instr. sacerdot. Tit. de perfect. Contrit. Lect. 16. §. secundum. Quid igitur mirum est plurimos sub ipso mortis ictu, quando non ab uno duntaxat dæmone, sed à pluribus dæmonum cohortibus ac legionibus pertentantur, à tentationibus vinci? Cum admodum pauci assiduis orationibus & enixis precibus instanter incumbant, vel eisdem necessarias faciant alas: Ne quid de debita gratiarum actione pro tot gratiis gratiosissime*

tiosissimè datis neglecta dicam ; quam  
& ipsam oportet esse non tantum men-  
talem atque vocalem, sed etiam realem.  
*Beatus qui intelligit super egenum &  
pauperem ; in die mala liberabit eum  
Dominus &c. psalm. 40.*

IV. CLEMENS ALEXANDRI-  
NUS ( qui ex seculo 2. in tertium flo-  
ruit ] libro cui titulus est : *Quis dives  
salutem consequi possit*, cap. 13. Pon-  
derans illa Salvatoris: *Facite vobis ami-  
cos de Mammona iniqu. &c. Luc. 16.  
v. 9. Vide, inquit, primum quidem non  
iussisse ( Dominum ) ut à te exigì patia-  
ris ; nec, ut importunos tibi fore egenos  
sinas ; sed ut tu ipse queras, in quos bene-  
ficiam sis collaturus. Et cap. 32. si necesse  
sit, terram omnem peragra ; SUPPLI-  
CA ( egeno Christi famulo ) UT  
ACCIPIAT : Festina ; enitere ; ti-  
me, ne te ille spernat : Nec enim is in  
mandatis habet, ut accipiat ; sed tu ut,  
prebeas. Quia ne hoc quidem dixit :  
dato ; prebe ; beneficentia utere ; auxilio  
fove ;*

fove ;



262      *Est maximè necessaria.*  
*fove; sed: Fac amicum. Amicus autem*  
*non una largitione seu munere, sed longa*  
*familiaritate præstatur.*

Rurfus cap. 33 *Dum nimia caudione*  
*uteris, videris que probare, quinam me-*  
*rito, nec ne accepturi sint; contingit, ut*  
*et Dei amicos negligas; cuius neglectus*  
*pœna, æternum ignis supplicium existit.*  
*Quod si verò omnibus, qui indigent, de-*  
*inceps præbeas, necesse omnino est etiam*  
*aliquem nancisci, qui apud Deum salu-*  
*tem conciliare queat.*

Denique cap. 34. *Coge, inquit, tibi*  
*exercitum inermem; ad bella ineptum;*  
*fundendi sanguinis nescium; ira vacu-*  
*um; incontaminatum; senes pietate præ-*  
*stantes; pupillos religiosis moribus; viduas*  
*mansuetudine instructas; viros charita-*  
*te ornatos: Tales divitiis tuis, corpori-*  
*que et animo tibi para satellites; quo-*  
*rum DEUS Imperator existat; per*  
*quos ipsa PROPE MERGENDA*  
*NAVIS emergat, quam sola levent*  
*Sanctorum preces; vigenisque morbus*  
*edo-*

edometur, quem fugent crebrò injecta manus; ac latronum insultus inermis fiat piis precibus despoliantibus; visque postremò demonum frangatur. Hæc antiquissimus ille Pater.

V. Ergo fratres, exercete eleemosynam, clamat S. AUGUSTINUS in psalmum 102. Non est aliud vinculum charitatis; non est aliud vehiculum, quo perducamur in hac vita ad illam patriam.

VI. Quid obsecro, Virginis Filio, qui Cant. 2. v. 6. & cap. 6. v. 2. pascitur inter lilia, jucundius est intemerato mentis & corporis pudici flore? Et tamen Virgines eleemosynam non habentes, virginitati indulgentes (ab eodem benedicto Virginis Filio Matth. 25.) à nuptiis sunt exclusæ, inquit S. CHRYSOST. hom. 9. de pœnit.

Hanc [de virginibus prudentibus & fatuis] parabolam posuit (Christus, inquit idem hom. 79. in Matth.) ut ostenderet virginitatem, quamvis cetera habeat,

habeat,

264 *Eleemosyna larga & humilis.*  
*habeat, si misericordia bonis caruerit,*  
*cum fornicatoribus eici.*

Unde idem ille *Doct̃or orbis terra-*  
*rum* (ut eundem *Theodoretus* in *hist.*  
*Eccl. l. 5. c. 35.* rectissimè vocat) *Ne ex-*  
*tinguamus, ait lampades; sed eleemosyna*  
*clariores reddamus. Hujus ignis lux ita*  
*servatur, si in vasa oleum, dum hanc*  
*vitam vivimus, colligamus: Quod nobis*  
*neque post hinc emigrationem amplius,*  
*neque nisi per manus pauperum collige-*  
*re permittitur. Colligamus, inquam,*  
**ABUNDE, si cum sponso ingredi vo-**  
**lumus; SIN MINUS; EXCLUDE-**  
**MUR: IMPOSSIBILE ENIM! IM-**  
**POSSIBILE, INQUAM, EST! ETSI**  
**INNUMERA FACIAMUS BO-**  
**NA, SINE ELEEMOSYNA COE-**  
**LESTIS REGNI VEL VESTIBV-**  
**LVM ATTINGERE.** *Quamo-*  
*brem multa in pauperes utendum est*  
*liberalitate, ut arcanis illis & ineffabi-*  
*libus fruamur bonis. ita ille homil. 22.*  
*in caput 2. Joan. in fine.*

VII.

VII. *Dum hanc, inquit, vitam vivimus, colligamus abunde: Nam antiquus author quæstionum ad Antiochum Principem, qui inter opera S. Athanasii habetur, & jam anno 769. à Concilio Rom. act. 4. citatus fuit, quæstionem 90. sic format: Eleemosyna pauperibus relicta à mortuis quomodo dicuntur? & respondet: MORTVA SACRIFICIA. Attamen, si etiam in vita sua ejusmodi fuerit misericors, accepta sunt etiam in morte ejus beneficia coram Deo.*

VIII. Rursum S. JOAN. CHRYSOST. hom. 27. in ep. 1. ad Corinth. *Non dedisse, inquit, pauperibus excludit è Regno, etiamsi quis sit Virgo; immò verò, NON LARGE DEDISSE: Nam & illa [Virgines fatuæ] oleum, sed non satis habebant.*

Hæc verò S. Chrysostomi verba juxta id, quod hic num. 2. observavimus, sunt intelligenda. Et certè non nisi misericordes audient vocem illam: *Venite Benedicti &c. Matth. 25. v. 34.*

M

&amp;

& sequentibus. Sed verè misericordes, ut hic art. 4. num. 2. jam vidimus, operantur ad depellendam miseriam alterius, *sicut propriam*; immò sicut ipse Christus, in miseris & afflictis miseris & afflictis miseriam, Matth. 25. v. 35. & seqq. adeoque libenter, hilariter, liberaliter & largè. Qui autem Christo in miseris & afflictis angustiato non subveniunt ex toto corde, iidem justissimè in extremis efficaci ejusdem gratiæ & auxilio destituentur; & in iudicio audient horrendum illud tonitruum: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. v. 41. & seqq. *Eleemôsyna à morte liberat: Et ipsa est, qua purgat peccata; & facit invenire misericordiam & vitam æternam.*

Tob. 12. v. 9.

\* \* \*

CA.

# CAPUT IX.

*Plurimi damnantur, eò quòd  
male suscipiunt Sacra-  
menta.*

I. **I**lle Doctor orbis terrarum, cui  
intempostâ nocte lucubranti ad-  
stare & in aurem dictare visus est S. Pau-  
lus Apostolus; sanctus, inquam, JOAN.  
CHRYSOST. hom. 3. in Acta Apосто-  
lorum, longè post med. ita fatur: *Non  
temerè dico, sed ut affectus sum ac sen-  
tio: Non arbitror inter sacerdotes mul-  
tos esse, qui salvi fiant; sed multò plures  
qui pereant: In causa est; quoniam res  
excelsum requirit animum... Et inno-  
meris oculis illi opus undique... ut sibi  
appositus ad docendum. Et hom. 40. ad  
populum Antioch. generaliter loquens  
Quot, ait, putatis esse in hac civitate  
nostra, qui salvi fiant? In festum est,  
quod dicturus sum; dicam tamen:*

M

NON

NON POSSUNT INVENIRI IN  
TOT MILLIBVS CENTVM,  
QVI SALVENTVR: QVIN ET  
DE HIS DVBITO.

II. Quis verò non credat ultra cen-  
tum Christianorum orthodoxorum,  
sexus utriusque, millia tunc Antiochiæ  
vixisse; cum eâ adhuc anno 1098. adeo  
fuerit *gloriosa & nobilis*; ut teste Wil-  
lermo Tyrensil. 4. cap. 9. maxima esset  
quæstio, an secundum vel tertium dig-  
nitatis gradum haberet post urbem ur-  
biũ Romam; & tantæ amplitudinis, ut  
eodem anno ( Tyrensi ibidem c. 12.  
testante ) trecenta bellatorum millia  
non potuerint eam undique castris  
circumpositis vallare; sed partem ejus-  
dem magnam ab obsidione liberam  
relinquere coacta fuerint: Immò, ut  
Robertus, cellæ S. Remigii in diœcesi  
Rhem. Monachus coævus, & testis  
ocularis l. 4. hist. Hierosolym. sub ini-  
tium scribit, tot in ea defensores erant,  
ut cum trecentis illis Latinorum eam  
obsiden-





270 *Èò quòd malè suscipiunt Sacram.*

foetomus, contra corruptiores hujus  
seculi Christianos à fortiori conclu-  
dunt : Et cuilibet in sacra antiquitate  
versato constat, quòd poenitentia, qua-  
lis nunc passim agitur, respectu poeni-  
tentiae tunc agi solitae, vix mereatur  
umbra poenitentiae vocari.

IV. Vnde communior Doctorum  
sententia est, quòd plures non tantum  
ex universo genere humano, sed etiam  
ex ipsis Catholicis adultis damnentur,  
quam salventur. Quam Cornelius à  
Lapide in epistolam S. Jacobi ad Capi-  
tis 2. versum 13. ex scriptura, Patri-  
bus, & variis rationibus probans, in  
primis ait, quòd multi *sine sacramen-  
tis* ex hoc mundo decedant. Et quam-  
vis hoc ipsum sit longè verissimum;  
nihilominus tamen, si quaelibet Ca-  
tholicorum civitas, aut alia commu-  
nitas, suorum tam foris, quam domi  
mortuorum numerum annuatim con-  
fignet; vix decimus quisque sine Sacra-  
mentis obiisse deprehendetur; nisi for-  
tè

tè cuiquam loco singularis aliqua supervenerit clades.

V. Quocirca Cornelius ibidem mox addit: *Rursum ex iis, qui Sacram. suscipiunt, multi ea malè suscipiunt* [immò, juxta jam statim dicta, plures malè, quàm benè] *ac proinde peccata non expiant.* Et hinc est, quòd quam plurimi etiam ex iis, qui confitentur, tutatim in gehennam descendunt, ut Bellarminus cap. I. art. 5. §. 17. relatus ait.

VI. Malè autem Pœnitentiæ Sacramentum ab iis suscipi, qui ad absolutum & efficax propositum abstinendi à peccatis (rem profectò arduam, sublimem ac perdifficilem) totis viribus non contendunt, Cornelius jam tum suprà cap. I. art. 3. §. I. relatus docet.

VII. Porro multos, inquit, carere hoc serio proposito colligitur ex variis indicis. Primum est; quòd ad suas cupiditates, vitia, & scelera redeunt post Confessionem, in periculo mortis

peractam, si periculum hoc evadant, & reconualescant: Qui reditus signum est, illud propositum fuisse coactum, & metu mortis extortum; non sincerum ac serium.

VIII. *Secundum* (indiciu[m] est) Quia multi malos habent habitus, v. gr. inebriandi se, fornicandi; rixandi, pejerandi, maledicendi; quos deponere nolunt: Aut, si volunt, non adhibent remedia ad rem tam inolitam defricandam necessaria. Unde & tales, ut ibidem, indicio 4. (nec non in cap. 7. Matthæi ad v. 14.) fusiùs docet Cornelius, etiamsi in ultimâ infirmitate cum vero proposito fuerint confessi, ad huc tamen postea, ac vel in ipso mortis agone, iusto Dei iudicio, gravissimè tentantur; multique ex eis (si non plerique omnes) per inveteratam infirmitatem suam, cui nunquam conveniens aliquod medicamentum, secundum Ecclesiæ doctrinam, adhiberi à sacerdotibus voluerunt: & ex quâ  
vel

vel uni dæmoni vix mediocriter tentanti ferè semper succubuerunt, etiam tunc (pluribus ad tentationem maximè seriam convocatis dæmonum turmis) succumbunt, & pereunt in æternum: *Cujus rei plura funesta extant exempla, inquit ibid. Cornelius, a* subdit:

IX. *Tertium [iudicium est] Quis multi habent principia politica & vitiosa v. gr. injuriam tibi & tuis factam talione vindicandam. Duellum, si offeratur, esse acceptandum, ne honor perdat. In conviviiis cuilibet ad æquales b. stus propinanti esse respondendum; adeoque in ebriandum. Non esse tolerandas ignominias, calumnias, verbera; sed par pari referendum (quemadmodum multi heroico, ut putant, animo, sed reverà effeminato & minimè Christiano dictitare solent: Noli me tangere. Ich lasse nicht nich purzen) Hac autem nunquam deponunt; ne in Confessione quidem, &c. Porro hac proposita,*

274 Eò quòd malè suscipiunt Sacram.  
habitualmente, immo virtualiter semper  
in ijs manentia, ex diametro repugnant  
proposito serio cavendi omnia peccata,  
Deique Legibus per omnia obediendi.

Quale propositum in confiteate om-  
nino requiritur, ut Absolutionis fit  
capax.

X. Igitur si benè vis confiteri, &  
absolutionem non malè suscipere,  
atque hoc pacto cum paucis salvari;  
cum paucis quoque ad veram poeni-  
tentiam atque ad absolutum & efficacem  
ab omni peccato mortali in perpetu-  
um abstinendum totis viribus, per media  
cap. I. art. 2. num. 5. & seqq. indicata  
connitari oportet. Si cum paucis per  
portam angustam, & arctam viam vis  
intrare ad vitam, omnino necesse est,  
ut luxuriantes, tumidas, perversas atque  
transversas affectiones & passiones tuas  
edomare, comprimere, ac refecare;  
pravosque habitus per congrua reme-  
dia defricare contendas; Deique grati-  
am & misericordiam tam spiritali-  
bus,

bus, quàm corporalibus misericordiæ operibus implorare non cessans, salutem tuam, juxta doctrinam Apostoli ad Philip. 2. v. 12. opereris **CUM METU ET TREMORE.**

XI. Quicumque vult ad vitam intrare, per angustam portam, & arctam viam, immò per portam valde angustam, & viam valde arctam, juxta scripturam Matth. 7. v. 13. & 14. debet intrare; adeoque totis viribus contendere, ut iatret per eam: Quandoquidem ipse Filius Dei Lucæ 13. v. 24. clamat: **CONTENDITE** intrare per angustam portam; *ἀγωνίζεσθε* habet textus originalis, id est, agonizate, & quasi in agone & agoniâ contendite; *extremas summasque vires, velut agonizantes* (arctando & constringendo cupiditates vestras) *exerite*, inquit Cornelius à Lapide in cap. 7. Matthæi, ad versum 13. *Quia multi, dico vobis, quarent intrare, & non poterunt*: Nimirum qui tempore acceptabili, totis viribus & modo jam

statim dicto non contendunt intrare; sed vanam falsamque poenitentiam, nihil angustiae, arctitudinis, contentionis, aut laboris habentem; atque Contritione phantasticâ, & frigidâ confessione constantem agunt; & justo Dei iudicio in ultimo quoque mortis agone meliorem non agent.

---

## CAPUT X.

*De vera Contritionis, inclusique in eâ propositi efficacis & absoluti difficultate & raritate (ac per consequens de salvandorum paucitate) juxta Protestantium doctrinam.*

I. **C**ONRADUS HORNEJUS, celeberrimus in Universitate Helmstad Doctor, & Prof. publ. in Compendio Theologiae posthumo, Brunsvviga anno 1655. typis excuso, lib. 2. c. 4. num.

num. 199. docet, quòd RES DIFFICILIS fit, rectè peccata sua agnoscere, seu verè poenitere; quòdque optimè dicat S. BERN *serm de triplici misericordia, & 4. miserationibus, qui est 13. de Diversis*: Quis scindet duritiem istam ( *Cordis nostri* ) nisi qui passione suâ petras scidit? Quis dabit cor poenitens, nisi à quo est omne datum optimum? ... Difficilis prorsus res, & soli divinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati jugum à cervicibus excutere; quoniam, qui facit peccatum, servus est peccati; nec potest jam liberari, nisi in manu forti.

II. *Hisque ex S. Bern. laudatis ibidem post pauca subdit Hornejus*: Unde Deus cum primis seriò orandus est, ut cor poenitens nobis donet; & magno studio sibi ipsi homo etiam atque etiam discutiendus, ut seriò & bonâ fide peccata sua agnoscat & detestetur.

III. *Numero autem 103. SOEPIS-SIME, inquit, contingit, homines ita*



certis peccatis addictos esse, ut, quamvis cetera detestentur & relinquunt ista tamen relinquere sibi non proponant; adeoque nec universalem displicentiam omnium suorum peccatorum habeant: Quocirca nec tales reverà contriti sunt hactenus; sed iis tam diu in animo suo frangendo, atterendo, seu contundendo procedendum est, donec Domino adjuvante ad universalem illà displicentiam veniant; sicut hæc rectè THOMAS ARGENTINAS hic monet.

IV. *Num. 104.* Requiritur propositum desistendi ab omnibus peccatis hactenus admissis, non infirmum tantum & conditionatum, sed **FIRMUM ET ABSOLUTUM**. Non itaque est vera Contritio, cum eo pacto cuiquam peccatum displicet, ac de eo dolet, ut desistere tamen ab illo non simpliciter, sed ita tantum cogitet, si modò possit; nec vitæ statum, in quo necessario sic peccat, mutare; sed in eo permanere

nere cupiat : Cum hæc non voluntas  
desistendi à peccato, sed Velleitas tan-  
tùm aliqua sit. &c.

V. *Num.* 105. Non est vera Contri-  
tio, cum quis propositum desistendi à  
peccatis omnibus quidem & absolu-  
tum habet; sed tale. ut, an SEMPER ea  
vitare deinceps velit, an aliquamdiu  
tantùm, incertus sit; sed tum demum,  
cum desistere AB OMNIBUS TO-  
TA VITA cupit. I. Petr. 4. v. 1. 2. & 3.

VI. *Num.* 106. Non sufficit ad veram  
Contributionem, ut peccata, quæ quis  
perpetravit, deinceps & semper aliqua  
& qualicunque cura fugere & evitare  
velit; sed (*requiritur*) ET STUDIO  
ET INDUSTRIA OMNIUM  
MAXIMA id agere sibi proponat; ita,  
ut cujusvis alius boni jacturam potius  
facere, & quævis mala subire paratus  
sit, quàm ut se illis vicissim dedat: Nam  
qui ita tantùm cavere ea imposterum  
constituit, ut Deum offendere denuò  
nolit, nisi vel magnum ea re commo-  
dum

dum

dum aut dignitatem sibi comparare ;  
 vel magnum aliquod malum, incom-  
 modum aut periculum, declinare pos-  
 sit ; is nec toto corde ad Deum con-  
 vertitur ; nec tale propositum vitandi  
 peccata habet, quale debet ; Nec enim  
 ullum malum, & ne mors quidem ipsa  
 ita metyenda est, atque Dei offensa.  
 Luc. 14. v. 26.

VII. Num. 107. *jam dicta recapitu-*  
*lans docet, ad id ( ut quis verè contritus*  
*ac pœnitens dicatur ) non sufficere, si*  
 cui peccata quidem sua displiceant ;  
 sed emendationem eorum nullam sibi  
**ABSOLUTE ET FIRMITER** pro-  
 ponat ; vel ita de uno crimine doleat,  
 et ab eo desistere cupiat ; ut interim  
 in aliis perseverare non dubitet ; vel  
 omnia quidem detestetur, omnia item  
 relinquere & cavere deinceps constitu-  
 at ; **AT NEC SEMPER, NEC STU-**  
**DIO MAXIMO,** sed ad tempus so-  
 lum ; quantum per mundi hujus illece-  
 bras & cupiditates suas possit ; verum  
 ad

ad illud necessariò requiri, ut absolute & simpliciter omnibus illis renunciaret; semper etiam deinceps ea cavere, & studio maximo constituat.

VIII. *Num. denique 199. jam supra citato addit Hornejus, MULTOS reperiri, qui rectè se pœnitentiam agere vel egisse censeant; & proinde remissionem peccatorum vel certè jam consecutos, vel se consecuturos esse sibi persuadeant; cum nihil minùs fecerint; adeoque nec veniam consecuti sint; nec consequi, dum tales sunt, possint. Hæc ille, hætenus per omnia rectè & Catholice, docet.*

IX. JACOBUS KÆSEBERGIUS, *superintendens Burgtorpiensis, in disput. de Pœnitentia, & art. 12. Confessionis Aug. num. 11. anno 1670. docuit similiter; & Additamento 7. in multis, inquit, iteratur Absolutio à Pastoribus; at non absolvuntur.*

X. POLYCARPUS LYSERUS, *aulæ Electoralis Saxonicae Concionator,*

tor,

tor, ac permagnæ apud Protestantes  
 authoritatis, Concionum Catecheti-  
 carum parte 3. (quam CHRISTIA-  
 NISMVM appellat) concione 3. pun-  
 cto 1. docet, quòd dolor de commissis  
 peccatis debeat esse dolorum omnium,  
 quos quidem in hoc mundo sustinere  
 quis posset, summus & maximus; quod-  
 que proinde homo de iisdem peccatis suis  
 in corde suo non minùs, immò multò  
 acerbius contristari, affligi, anxari &  
 excruciaci debeat, quàm si à carnificè in  
 Catastrâ crudelissimè cederetur, vel ab  
 eodem in equaleo distentus, dirissime  
 torqueretur. Propria LYSERI [ à totâ  
 facultate Theologicâ Lipsiensi anno  
 1595. in præfatione summè laudati ]  
 Verba sunt ista: der Schmerz über  
 die begangne Sünde soll der höchste  
 und größte Schmerz seyn, den der  
 Mensch in dieser Welt erdulden  
 mögte: und solle demnach über die be-  
 gangenen Mißhandlungen nicht we-  
 niger betrübt seyn/auch nicht geringere  
 Schmerz

Schmerken tragen; oder sichs in seinem Herzen dermassen kräncken lassen/ als wan einen der Scharfrichter am Halkeisen geiffelte / oder sonstem auff der Folterbanck reckete und marterte: dan so hart einen solche abscheuliche Pein an seinem Leib ängstigen mögte; so hart / und viel härter soll einen diese Angst und Schrecken / so einem wegen der Sünden zusetzet / im Herzen / und an der Seel quählen.

XI. *Ipsi quoque symbolici Protestantium libri docent, ad veram Contritionem (in verâ poenitentia nunquam non necessariam) requiri (a) horribiles terrores ac dolores, QVALES [ b ] SVNT MORIENTIVM; immò & (c) SENSVM MORTIS: voluntque [a] vindictam & pœnam in verâ poenitentia necessariam, esse horribiles illos terrores conscientia, de quibus ait David: Circumdederunt me dolores mortis; & addunt: (a) Quis non malit loricatus & cataphractus quærere templum*

plum

plum Jacobi, Basilicam Petri & Pauli  
&c. quàm sustinere illam ineffabilem  
vim doloris, quæ est (NB.) etiam in  
mediocribus, si sit vera pœnitentia?  
ita *Apologia Confessionis Augustana* (a)  
*Tit. de Confessione & satisfact.* §. sed  
objiciunt. (b) *Eadem, Tit. de Pœnit.* §.  
*Paulus ferè ubique.* [c] *Articulatorum*  
*Smaicald parte 3. artic. 3. de Pœnitentia.*

XII. Sed, vel hæc doctrina est falsa,  
vel ipsimet Protestantes cogunt ut fateri,  
quòd vel nullus, vel vix aliquis apud  
eos veram pœnitentiam agat, atque sal-  
vetur; Quandoquidem nemo aude-  
bit asserere; quòd horribiles morienti-  
um terrores atque dolores, ipsiusque  
mortis sensum in sua pœnitentia fuerit  
unquam expertus; quòdque maluisse  
loricatus & cataphractus templum S.  
Jacobi, Compostelle in extremis Hispa-  
niarum finibus, & in Africa confiniis  
situm, per intensissimos, quales ibi sunt,  
calores illuc peregrinando, quærere;  
immò & à carnifice in catastâ cœdi,  
atque

atque in equuleo torqueri, quam sustinere illam ineffabilem vim doloris. Profecto; si illam Protestantes in sua poenitentia sentirent, non posset eadem non à cohabitantibus Catholicis aliquando diebus illis, quando confiteri solent, notari: Nec esset apud eos adeo frequens citusque in peccata relapsus.

XIII. Notet verò benevolus Lector, quod Catholicorum in negotio Poenitentiae doctrina sit multo suavior, & praxis longè facilior, quam Protestantium: Quamvis enim David habuerit intensissimum, vehementissimumque contritionis dolorem ( Ne quid de horribilibus illis morientium terroribus dicam ) non tamen sequitur, nec ullibi legitur in scriptura, Peccatoribus ad evitandam mortem aeternam tam ineffabilem vim doloris, etiam cum Absolutione simpliciter necessariam esse [ multo minus; quod ad hoc horribiles illi morientium terrores sint requisiti ] Quandoquidem vera poenitentia plures admittit gradus,

duos,



dus, quorum alius est alio perfectior; Potestque pœnitentia admodum infirma & imperfecta nihilominus esse vera; traditisque ab Ecclesia & universa antiquitate modis, etiam post Absolutionem, immo post ipsam adeo mortem suppleri ac compensari. Quos quidem supplendi ac compensandi modos dum inconsultè pernegant Protestantes, ejusmodi doctrinam sibi patiuntur obtrudi, ex qua per evidentem consequentiam sequitur, eos omnes, vix aliquo adultorum rationis usus gaudentium, & non valde simplicium excepto, in æternum damnari.

Qui verò ob Dei offensam, ejusdem unius causa, graviùs affligitur animo, quàm affligeretur corpore, si à carnifice in equuleo distentus dirissimè torqueretur; vel, si loricator & cataphractus. †

†  
 vide  
 Errata

Denique eorum, qui se Reformatos appellant, de verâ, tam in-quàm exteriore pœnitentiâ [ verè & juxta eorundem rarissimâ ] sententiam vide supra cap. 1. art. 5. num. 3. 4. & 5.

Finis.

A.D.

A D D E N D A.

Cap. 7 in fine numeri 1. post illa :  
*ita refertur in eius vita cap. 42. hæc*  
addantur.

Vide eund. in *Horologio æterne sap. l. 1.*  
tit. leu cap. 14. & epist. 6. ad quendam  
*infirm.* LUDOLPHUM de Saxo-  
nia, in opere de *vita Christi*, par-  
te 2. cap. 58. LANSBERGIUM  
lib. 2. *Alloquiorum Jesu Christi ad*  
*animam fidel.* parte 1. can. 4. & 5. BLO-  
SIUM in *Farragine utilissimarum in-*  
*stitutionum*, prope finem, titulo :  
*Hæc sunt notatu digna.* item in *spe-*  
*culo spirituali* cap. 7. & 9. & lib. 2.  
*Enchiridii parvulorum* in appendice  
documenti 3. S. GERTRVDEM  
l. 3. cap. 18. Tit. *alia preparatio nota-*  
*bilis*; item in *exercitio suppletionis pro*  
*peccatis* S. MECHTILDEM lib.  
1. cap. 16. 17. 18. & 30. lib. 3. cap. 14.  
l. 4. c. 21. &c.

Suntque innumeri, qui cum B. Al-  
berto Magno docent, *Christique fide-*  
libus

libus studiosè inculcant, quòd devota ac *simplex* Dominicæ passionis recordatio ( *simplici* nimirum ac humili corde, fide atque fiducia ejusdem sacratissimæ Passionis virtuti meritoque innixa, nec non cum intimâ gratiarum actione, pro peccatis oblatione, & imitationis voto conjuncta ) plus valeat homini, quàm totius anni jejuni-um in pane & aqua; quàm quotidiana flagellatio ad multam usque sanguinis effusionem producta; & quàm totius psalterii Davidici recitatio similiter quotidiana.

~~Hic. in fine numeri 2. pro illis: in  
 & per Crucifixi plagas, livores & vul-  
 nera humiliter offeras aeterno  
 ejusdem Patri.~~

F I N I S.



# ERRATA.

<i>Pag.</i>	<i>Lin.</i>	<i>Lege.</i>	<i>Pag.</i>	<i>Lin.</i>	<i>Lege.</i>
6.	14.	Hoyâ	102.	10.	Antoninus
12.	21.	nec dolor	120.	18.	Anglicani
13.	13.	Ex horum	138.	18.	Dicat unū
		verò			Pater noster; vel
		admissi.			quod
15.	3.	suppliciter	169.	15.	Domni
16.	4.	1. Johan. 2.	174.	2.	Ælberti
34.	11.	consuunt.	178.	8.	doses
52.	15.	reo	181.	2.	ut eum
66.	20.	15.	204.	11.	quidam
73.	12.	distinct. 5.	212.	8.	contra in-
77.	8.	metanceis			fideles.
86.	5.	Greg 7.	256.	23.	Lucae xi.
94.	12.	D. Thom.	273.	7.	ac subdit.
95.	5.	nihil sibi	274.	14.	abstinendi
96.	11.	in Tract.			propositum
99.	15.	sacerdotali, quē supra	75	21.	refecare

Pag. 286. lin. 19. Si loricator & cataphractus  
 ex Borealibus Germaniæ plagis Compostellâ  
 aut Romam iret; eundē vel gravi satisfactio-  
 nis oneri, vel igni purgatorio obnoxium esse

nemo



nemo Catholicorum affirmat. Qua de re vide  
cap. 2. art. 2. Reg. xi.


Pag. 288 deleantur ultimæ 4. lineæ.

Pag. 93. in fine hæc addantur : Confessores  
qui dant pœnitentias minores, habent ma-  
jorem concursum, quàm dantes magnas;  
(*inquit Sanctus Bernardinus, Anno*  
*1444. defunctus*) Et sic peccatores  
decipiuntur, & MITTUNTUR AD INFE-  
ROS : Et isti, qui vadunt ad tales, qui dant  
minores pœnitentias, causâ evitandi bonos  
Confessores, causâ non habendi congruas  
pœnitentias & magnas ; NON PLUS  
CONTRITIONIS HABENT, QUAM  
DIABOLUS. *Ita ille, in Quadrage-*  
*simali SERAPHINI, serm. 35. feriâ*  
*3. post 5. Domin. Quadrage. longè*  
*post med. Prima Partis. Tom. 3.*  
*Edit. Lugdun. 1650. p. 276. col. 2.*






F 11  
43 b







Th  
2342